


Mercator, Franciscus

Rabies ac clades Franco-Batava, sive nefandum, immane ...



Tryck // / I25 B I4 c Br. I635

Tillkomstår 1635

Digitaliserad år 2019



National Library
of Sweden

RABIES AC CLADES
FRANCO-BATAVA

*Hist Natul
Polit
(m)*

SIVE

1635

NEFANDVM, IMMANE
ET GEHENNALE

THE NARVM

EXCIDIVM,

exantlatâ à Victoribus

LOVANIENSIBVS

OBSIDIONE,

Mercator

turpissimo dedecore & fugâ
iplos in Auctores versum.

Ad veritatis veram lucem secundâ curis concinnabat

F. M. ad S. M. L. P.



LOVANIÏ, Typis CORN. COENESTENIÏ. 1635.

FRANCIS BATAVA
SIVE

NEBANDVM, IMMANS
ET GEMINALE

THEATRAVM

EX CLIVM

exantia & Victoribus

LOVANIENSIVM


OBSDIONE

in quibus habetur & fuit

quosdam & vultum

De quibus vultum in quibusdam curis concipitur

S. M. P. S. M. P.



1637. Typis Collegii Lovaniensis

DEO OPT. MAXIMO,

Propitio BELGICÆ afflictæ

P A T R I:

FERDINANDO

CARD. AVSTRIACO,

S^{mi} SACRAMENTI vero Cultori,

Fidei Catholicæ Propugnatori,

Scelerum hostilium Vltori:

ANT. GROBENDONCKIO,

VRBIS LOVANIENSIS

obessæ Gubernatori,

Francorum & Batavorum Vindici,

Adventui CARD. AVSTRIACI

primum Victoriarum auspiciam,

primam Triumphorum Lauream,

primæ Brabantiaë Urbis

conservatione, offerenti:

ALMÆ VNIVERSITATI

ET S. P. Q. LOVANIENSI,

congratulabundus dicabat

FRANC. MERCATOR, ad S. M. L. P.

DEO OPT. MAXIMO.
 Proposio Belgicae afflictae
A D L E C T O R E M.

LECTOR Optime, Paucis te praeosculum & praeannuntium eo: & velim in primis ad stylum narrationis meae animum non reflectas, quam non publicandi animus, sed notitia & veritatis amor persuasere, amicorumque multa desideria in lucem protrudere. Injurius enim fuit, quisquis scelerum mutilum, per horas succisivas, durante obsidione Lovaniensi, a nobis concinnatum, eademque soluta amicis communicatum, in scio auctore nuper in praelum & lucem dedit. Et sane suffecerit, praestiteritque, vero calamo & sine fuce rem gestam depingere, non verba factis affugere. Verum castam tibi mentem esse optem, dum hac legis. Ad indecora enim & foedissima omnia, quae THENIS exhibentur, non nisi scelerum adferenda odia sunt. Interim scito, quae Francos Batavis sociatos patrasse in Hasbanijs hic legis, integram me, quam potui, fide & sinceritate tibi proponere. Pauca sunt, si sunt tamen, quae afferro & adfero, quin vel hisce ipse viderim oculis, vel ab ijs ipsis, quibus ea accidere, aut qui oculati fuere testes, percunctatus sim & cognoverim, aut certe ab ijs, qui id immediate habuere ab alijs, ijsque, vel testibus similiter oculatis, vel qui ipsi ista perpeffi sunt. Tu abominanda horresce, Lector, & alterius exemplo, vindicatumque, ad LOVANIVM nequitiâ, disce melius Deum revereri.

ALMA MATER
 ET S. P. Q. LOVANIENSIS
 RABIES
 FRANC. MERCATOR, ad S. M. I. P.

RABIES ET CLADES
FRANCO-BATAVA,
SIVE
THENARVM
EXCIDIVM.
OBSIDIONISQVE
LOVANIENSIS
ANNO MDCCXXXV.
A DVPLICI EXERCITV
FRANCO-BATAVO
PERPESSE
COMPENDIOSA ET VERA
NARRATIO.



QVOD orbis universus mirari meritò possit, Christianus verò etiam stupere & dolere meritissimò debeat, id à centum, & quòd excurrit, annis spectavit Europa, & tulit; conglobata scilicet conjurataque in hæreticarum & barbararum nationum fœdus Christianissimi Francorum Regis arma; conspirationes in Provincias, in Regna alteri hæreditaria, in Cæsarem, vitamque aded ipsam Cæsaris, & quidquid demùm Cæsareum esse aut Austriacum potest. Germania primùm arma eiusmodi iam olim experta fuit, & superioribus annis iterum excepit, atque in propriam hæctenus sustinuit perniciem, imò & fovit; intraque ipsa viscera allapsos alio ex orbe colubros, Suecos, Gothos, Vandalos, Finnos, Lappos aluit, à quibus roderetur, voraretur. Rodi atque arrodi, se ita volente, potuit vorari, Deo bono nolente, atq; Austriacis satagentibus, non potuit. Quia ergò hæc non successit, alià alibi tentandum, viresque Austriacas

E X C I D I V M

laceffendas atque enervandas Gallicæ putavit ambitio: male-cauta atque improvida Regni sui administratrix, cùm sic vires ipsa suas diuisit. Belgium, Prouinciasque, hætenus Regi Catholico, ut legitimo suo Principi, & illi Austriaco, obediens, petit & impetit Rex Christianissimus, perque hæreticorum, atque in primis Calvinistarum, in Belgio fœderatorum, societates & pacta, iter sibi complanare in Brabantiam, Flandriam, Hannoniam, Artesiam studet; rictu istic vno bolum voraturus ore maiorem, & quidem vice jentaculi (uti postea per exercitum Franco-Batavum passim auditum fuit)

L O V A N I V M.

Annus à Christo nato **CIO. IO. C. XXXIV.** declinare in extrema coeperat, cùm Gallix Rex Prouincijs Belgico-Germanix rebellibus ac fœderatis arma viresque jungere statuit, & amicitiam, belli que fœdus an. **CIO. IO. C. XXXV.** mense Martio signat & iurat, pactâ cum earundem Prouinciarum Ordinibus per suos Delegates, *Charnacæum* & *Baugium*, Gallos, cum *Pauvrio* & *Cnuytio*, Belgis, diuisione quoad reliquas Prouincias, legitimo suo Principi hætenus obediens.

Igitur, præter eas copias, quas per Hassiam, Palatinatum inferiorem, Alsatiam, Lotharingiam, Vallens-Tellinam, atque in ipsis faucibus Italix, fautoribus, socijs, aut belli ducibus plerisque hæreticis ductitabat, ingenti apparatu, multisque viribus movere è Gallia in Brabantiam constituit, delecto ad hoc exercitus sui robore (cui etiam ipsius Regni coronam sceptrumque fideret) Marefcallo *Chastillonio* & Marchione *Brizco*, illo hæretico Hugonottâ, hoc Catholico-Romano, Ordinis S. Spiritus Equite, ductoribus. Protectione per Lutsemburgi fines agrosque institutâ, atque intercepto dirutoque Castro istic Orchimontano, conflictus deinde alicujus oblata fuit occasio, quo Sereniss. Sabaudix Princeps *Thomas* cedere campo, relictis impedimentis, fuit compulsus. Si pugnx occasione eventumque spectes, exigua fuit internecio; eam tamen militum nostrorum dilapsus Belgio gravem fecit.

Clades ea inopinatò allapsa, **XIII. Kalen. Innij** nocte concubiâ **Ferdinando**, Cardinali Austriaco, Lovanij tum existenti, nuntiat: Venerat is, cum Marchione *d' Ayrona*, Exercitus Regij Duce seu Locum-tenente Generali, & copijs quibusdam militaribus, eo consilio Lovanium, ut propius ad Mosæ confinia progressus, auxilio inde eidem Sabaudix Principi esse posset, Francicoque exercitui remoram aliquam obijceret.

Cognitâ ergò clade, diei insequentis primâ luce, Regiâ mente & inconcusso in pericula animo, Lovanio relicto *Thenas* & *Hasbanios* petit,

petit. Fuit, qui in via denuntiaret Sabaudi copias universim tantum non deletas, vixque hominum quinque supra viginti evasisse, & oculatum sese testem malè oculatus assereret, atque adstrueret multo verborum pondere. Quibus nihilo commotior factus Cardinalis, conversus ad Marchionem, *Eia*, inquit, *progredi vltra à boni animi non dubitemus. Dei causa est, quam agimus: Deum habemus rectorem, protectorem, defensorem. Ille res nostras, consiliaq; diriget, ille propugnabit.*

Francicæ interim copię per Condruſios, sineſque Limburgenſes iter promovent, & intra non multos dies Traiectum ad Mosam appellant. Hic verò multo consumpto tempore, junctis tandem Bataavorum seu Ordinum foederatorum sub Principe Orangio, hujus expeditionis Archistratego, viribus, Mosam transcendunt, atque in Eburonum ac Tungrorum agros militem omnem, belli que impedimenta universa, paullatim transmittunt.

Cardinalis Austriacus hostium tergiversatione usus, militem interea Regium undique è provincijs, urbibus, munitionibus, ceterisque præſidijs educit, ac justis conflatis copijs, ad Getam fluvium fossas, valla & propugnacula Hannutum usque, Gallo-Brabantię opidulum, ducit; hicque Sabaudum Principem, atque alibi alios, constituit, ac præſtolari hostium adventum jubet: dumque patriæ propugnationem vi & armis istic præ se fert, hostilia consilia longius retardat. Et sanè mira hïc divinæ providentiæ ratio sese exhibuit, terreri Belgium fidele ac concuti, non etiam vinci atque opprimi, patientis. Quid moraris ad Mosam, Chastillonie? Quin properas, tuo cum milite, tot nuper victorijs (proditionibus veriùs dixerim) inclyto, Orangie? Vix tria hominum millia secum Austriacus ducit; & adhuc, quinquaginta ipse, & vltra, armatorum millia ductitans, quiescis atque hæſitas? Nonne vides undequaque convenire ad signa atque imperia militem? Progredere dumtaxat, & te tuosque ostende modò Hasbanijs, Brabantis que; & vel ad conspectum ilicò tuum supplices dabunt manus. At surdescit nimio elationis spirita immane quantum spirans superbia, & iam tum, cum efferri incipit, Deum sustinere cogitur depresso.

Temporis ergò plurimum, ut dixi, inutiliùs ad Mosam deteritur, cum tandem transmissio fluvio Tungros iri datum est. Dum hïc opidani transitum per urbem detrectarent, Bredenrodus, tormentis muralibus in portam dispositis, claves sibi ad manum esse ait: facturum se, quod constituerit, nî cito citius portis patulis transitus militibus detur. Sicque violentiæ datum, quod neutralitatis & pacti conditio denegabat. Salutatus, inter ceteros, à Magistratu opidi

refectione

refectione aliquâ idem Bredenrodus, cum fortè quispiam offerret ei saccarum, *Eia*, inquit, *Domicellus Bruxellensibus leviculum & blandiusculum hoc recondo focillamen*; simulque manum implet, & quasi de victoria obridet. Ferunt tunc quoque eundem Bredenrodium, sumptis aliquot saccari globulis, eos in os hocce cum problemate injecisse, *In Thenensium hoc esse sanitatem*. Fortè significare jam tum voluit, Thenarum nihilo plus, quàm absumpti illius sacrari, reliquum mox futurum. Sed & commiseratione erga Cardinalem Infantem motus, *Nescire se dicebat, quò tandem ille fugà esse elapsurus*. Quinimò liberrimis ubique vocibus & ipse Orangius jactitabat, *Patriam universam esse suam: neminem suis se viribus oppositurum: resistere neminem posse*. Deus hæc audit & spectat, Orangie. Anne credis falsum illud Scripturæ, *Non in curribus, & non in equis, sed in nomine Domini beneplacitum erit ei?*

Ita Tungris Trudonopolim mota castra. Et iam in Brabantia, ipsaque Bruxellensi urbe & aula, omnium erat animus (neque enim Francorum alia ferè vox Trudonopoli atq; alibi audiebatur, quàm *Proculne Bruxellâ abessent*;) nec metus ullus aut cespitatio totius invadendæ ac potiundæ Brabantia, Belgijque aded universi, cum ecce mox ad inermes: (ut creditum hætenus fuit) Lovanium, bellis inasuetum, Mularum dumtaxat domicilium, vastissimo distractum & distentum murorum ambitu, fœdè dedecore gloria omnis eliditur, elatusque animus velut in præceps ruens humo quasi alliditur.

Cardinalis autem non ijs se instructum copijs videns, quibus plano ac pleno conflictu vires omnes hosti obijciendas existimaret, iacturam hinc inde sustinere aliquam, quàm aliud gravius Belgio periculum ac detrimentum pugnando inferre, maluit. Igitur pridie Nonas Junij equitatum omnem in campum Hakendoveliensem, extra Thenensis opidi portas, veluti armilustrij titulo, convenire jubet, & per loca vicina, quæ Lovanium ducit iter, disponit. Postero die totum similiter peditatum recognoscit, lustratque, ac Sabaudum Principem, qui circa Hannutum cum copiarum parte adventum transitumque hostium præstolabatur, Thenas in castra, bellicis cum impedimentis, evocat.

Factâ ad eum modum veluti aciei dispositione & militari recognitione, VII. Eidus Junij toto cum exercitu Lovanium versus proceditur, milite per paucos Thenarum defensionem relicto. Ita hostis, munitionibus Regijs ad Getam fluvium potitus, in Hasbamos, Thenasque progreditur, tardo, ut hætenus, consilio. Iterum que hinc ab eo hæsitatum est, diesque amissus, priusquam aliquid in Thenense opidum moliretur.

T H E N E N S E.

Quod quidem opidum cùm ad diem v. Eid. eiusdem mensis, quatum Sabbati erat, à prima pomeridiana, per duas circiter horas, hostem, è Begginarum Curia urbi imminentem, sustinuisset, demùm ad conspectum maiorum copiarum & tormentorum, quæ adversus urbem ducebantur & laxabantur, compositionem deposcit; civi propugnationem ac defensionem inhihet; pileos, pacis & pacificationis tesseram, in altum elevat; ad militem, fossis subiectum, de pace atque deditioe verba miscet, suosque ad Orangium, pone Begginagium obhærentem, delegatos commissosque, de articulis deditiois acturos, ablegat. Hi supplices eidem Principi pactionem poscunt. Civium interim nemo erat, qui non arma abijceret; qui depugnaret, prorsus nemo: cùm usus quiete istâ hostis, curruum (qui in Begginagio, ob fugam rusticorum cò allapsorum, tum frequentes erant) allatis atque admotis ad mœnia scalis, ascensum quietè ac liberè tentat, & superat. Potiundæ tam citò urbis nulla, & ne apparens quidem, spes erat, nisi iussus desistere ac decedere ab armis & vallo civis, ipsâ tractatus publici fide securus, à defensione ultrò abstinuisset.

Dum ita apud Orangium instarent pro compositione Legati, supervenit non-nemo, qui militem vallo iam potiri nuntiaret. Hic Orangius eosdem Legatos declarare captivos suos, militem promovere, & apertis mox portarum repagulis turmatim in urbem immittere. Ad prædas itaque & depopulationes victæ urbis (si tamen victæ) ilicò procursum est. Ad violentias omnes omnium versus animus; ad mulierum, matronarum, virginum, sanctimonialium plus quàm gehennales oppressiones; ad incendia, totiusque urbis omni ex parte conflagrationes; ad virorum, imò & conjugum ac prolium octennialium, captivitates & lytra; ac postremò, si lytra non suppetere, ad neces mortisque violentas: nec quicquam tam tutum aut occultum, quod celari potuerit.

In profana, in sacra vis eadem: nec Divis, imò nec Deo ipsi quippiam delatum. Supellex sacra toto opido direpta: vasa sacra, pixidesque in prædam versæ, & vt omnibus ludibrio essent, equorum alligatæ caudis, dum illi aquatum ducerentur: oleum sacrum in terras profusum; altaria eversa, & effracti altarium omnium loculi, reliquiæque sacræ passim dispersæ. Divorum imagines, ceteræque picturæ alibi conscissæ, alibi exemptæ; statuæ alibi fractæ, alibi manibus, auribus, naribus truncatæ; atque exustæ; & quod orbis Christianus horreat universus, augustissimum, ipsisque Angelis tremendum, SS. Eucharistiæ Sacramentum apud Carmelitas, Virgines

E X C I D I V M

Annuntiatas, atque alijs in locis, per summum Dei contemptum, in terram projectum, pedibus conculcatum, mille & mille modis violatum ac pollutum. Quid, quodd aliubi in mille etiam partes, veluti oleris in modum, dissectum, omnique ludibrio expositum, imò & equis in pabulum objectum fuisse, publici Scriptoris auctoritas & fides adstruat? Quid, quodd & vindicem Dei manum non-nemo hinc expertus? Narrarunt enim ex hostibus Centuriones aliquot, & verum esse confessi sunt, Batavo alicui, sacratissimam hostiam indignè tractanti, totam mox manum sanguine offusam & completam fuisse. Sed & illud verum, Religioso cuidam Belgæ, reformatioris vitæ ac regulæ, sui que Cœnobij Superiori, à primipilo quopiam hostilis agminis adseveratum fuisse, militum suorum uni, vasa sacra sacrilegè contrectanti, manum ilicò obriguisset atque exaruisse? Quis igitur non dextram à prædis, injurijs, sacrilegijs arceat, cum sic vindicem spectat & experitur divinam? In opido, extra opidum, ubicumque in hostes, Batavos potissimum, (quibus in hac Thenensianiena ac Theomachia meritò palma debetur) hæc sacra devenère, indignissimis atque ignominiosissimis modis, præter depopulationem, tractata ac profanata fuere universa.

Nihil modò miraberis, si Deo dicatos homines, alios vestibus indecorè nudatos & impudenter illusos, alios equis impositos & morionum instar per forum, publicasque plateas vectos, raptosque, alios graviter percussos & crudeliter trucidatos, exhibeam, ubi nec reverentiæ nec timori Dei ullus reliquus fuit locus. Hoc unum dico, & liberè profiteor, velimque, ut omnes verissimum esse certò sibi persuadeant, me ne quidem millesimam partem eorum, quæ ab hoste, cum Franco tum Batavo, hinc nefandè patrata sunt, attigisse hætenus, neque in subsequentibus fore, ut attingam. Tantùm extremis & tremulis veluti digitis propono è plurimis pauca, ut vel ex ungue leonem, ex pelle ursum colligas, & crimine ab uno discas omnes.

Prædæ igitur in primis data Thenis omnia; & in hac deprædatione pleraque indigna, horrenda, sacrilega, atque à natura ipsa planè abhorrentia, commissa sunt. Pecunijs perveſtigandis atque extorquendis nulla tormenta erant satis.

--- quid non mortalia pectora cogis,

Auri sacra fames? ---

Virgo erat, continentiae voto Deo dicata, verè virgo, & pro virginitate supra sexum illum depugnatrix. Hæc, viso opidi Plebano, qui à quodam Franco, viro nobili, etsi Hugonottâ sive Calviniano, honestè

honestè ducebatur, sese eidem in tutelam dat & comitem adjungit. Spectant id primùm insani Batavi, & mille pænè mortes huic damnatissimo, ut ajebant, Papæ intulissent, nisi à dicto Franco fuissent prohibiti. A quo cùm illi arcentur, demùm alij nationis Gallicæ virginem, eodem inspectante Plebano, arripiunt, detractisque vestibus nudam prostituere & sui iuris facere annituntur. Negat verò virgo, & se offert gladijs, offert morti, tantaque animositate, Deo vires sufficiente, virginitatem suam tutatur, ut uno ad humeros, tribus in femore acceptis vulneribus, nebulones, eius potiundæ desperandos, deturbaverit à conatu. Verùm ne sic quidem furix illæ sese remiserunt, aut satiari libido potuit. Virginem rursus arreptam ad pectus usque vestimentis exuunt: ubi cùm sub indusio durum hirtumque ad carnem spectant cilicium, nec hac ipsâ moti pietate, neque sub-infertis eâ occasione per Plebanum divinis comminationibus territi, cilicium frustratim magnâ vi à corpore divellunt, majorique mox violentiâ in ipsis naturæ abditis, spectante iterum invitis licet oculis Plebano (cui, ut & virgini, in tergum revinctæ erant manus) nummos & pecunias pervestigant. Parumque abfuit, quin & ipsi Plebano, intra urbem atque in publico, reliquis cum vestibus etiam indusium detraherent, & id factum dubio procul fuisset, nisi prædicti Franci, honestiùs, ut apparebat, educati protectione fuisset præservatus. Extra urbem verò progressis, tum Plebano, tum filix ante-dictæ vestes omnes detrahuntur; adèò ut solâ subuculâ tecti Hugardiam tandem devenirent. Similes his, majoresque impudentiæ pluribus alijs, cùm matronistum virginibus, illatæ fuere, quas indagare curiosiùs non libuit. Addere tamen ex altero sexu lubet alterum non absimile deprædandi facinus.

Vir erat Consularis, annis senioque gravis (natus quippe annos LXXXVII.) qui, ob consilij vivax robur, etiam-num opidi agebat Senatorem. *Meursus* senior ei nomen. Hic quia, ætate senili remorante, dilabi fugâ non poterat, domi repertus, (cùm crederent in hominem fortè se incidisse nummosum & Euclionem quendam) ad commonstrandas ilicò facultates suas fuit compulsus. Monstravit ille, ut viveret; si tamen vivere inter tot, ut ita dicam, mortes quis dici possit. Primis utcumque satiatis, mox alij alijs supervenere; & cùm nihil ei ampliùs suppeteret, qui omnia dederat, in immanes torturas ab incredulis adigitur. Virum illi senem primò gladijs armisque percutiunt, genua inde rudiore fuste fricant, pellemque & carnem in ossa usque defricant: demùm sacculos pisis & fabis infarciunt, hisque caput, frontem, faciem verberant; pecunias inclamant, adèò

que hominem deformant, ut nihil ferè simile hominis referre videretur. Toto triduo istæ duravit exagitatio, donec tandem vestibus & tegumentis omnibus spoliatus, consilij & rerum inops, in publicum nudus prodit, ac mox matronam, sibi pridem notam, viri Ecclesiastici matrem, octoginta trium annorum mulierem, similiter nudam conspicit, cui se veluti pro solatio communi in malo adjungit comitem. Equites bini, quibus non omnis omninò dilapsus videbatur pudor, duos hosce senes, ætate & canitie priscâ nulli non venerandas, ita nudos conspicati, secum abducunt, deducuntque in Begginagij Infirmatorium, ac monstratâ, in quam se recipere, lecticâ, iterum discedunt. Hoc in loco mirum quas non contumelias ac violentias pati necessum fuerit: donec, præter insana ceterum omnia, mulierem hanc senem, ipsius Meursij in conspectu, frustra; Meursianâ oblucente constantiâ, in terram prosternunt, & peruestigatis inhonestissimè, quas natura velatas voluit, partibus, impudentem auri cupidinem explent. Binis in Begginagio diebus commorati, quinto demùm die, nullo interea vel gustato pane, ab amicis quibusdam quæsi reperiuntur. Quis non vel humani aliquid referens facinora istiusmodi, ut gehennalia, ipsoque ex Orco nata, detestetur? Ne tamen summæ turpitudini summa desit crudelitas, prædationes spectâ alias, & lege.

Quis non horreat, virum senem, virum innocentissimum, annos nonaginta, & quod excurrit, natum, utroque per ætatis molestias orbatum lumine, quidquid quomodolibet haberet, aut suum alicubi esse sciret, prodere, tradere iussum, per vias & amfractus huc illucque circumductum, tandem protrusum in gladios, immiti ense, transverberatum, ac barbarâ morte enecatam, postquam veneranda illa canities aliquantisper sese proprio in sanguine volutasset. Taceo complures alios, proprijs privatisque in ædibus, plateis publicis, de prædationum causâ interemptos. Hoc unum dicere uno hîc verbo suffecerit, ad eò in minutissima quæque illam militum grassantium ac prædantium rabiem involasse, ut passim matronas, virgines, Sacerdotes, omnisque tandem sexus & status homines, ipsis, quæ tegebantur, partesque pudendæ obtegebantur, vestimentis spoliarent, nudas ducerent, traherent, in fugas agerent, ipsâ spectare non sustinente, velut pudoris plenâ nec sui ultrâ compote, Natura. Neque enim inexplibilis illa auri cupido se fatiari posse, nisi socijs individuus, turpitudine scilicet & libidine, credidit. Eâ, inquam, libidine, qualem ne vel distortissimum atque impudentissimum ingenium genio barbarissimarum gentium appinxerit, imò ne affinxeret quidem.

Permitte

Permitte Lector, ut conculcatis sacratissimæ continentiæ leges, atque obscenitatis foedissima prostibula, castis oculis veluti per cancellos obijciam. Etenim uno pænè momento, quo post occupatum opidum abire & rucere in prædas datum fuit, etiam libidini ab omnibus & in omnes laxatæ sunt habenæ. Nulla statui, conditioni, sexui, ætati, data aut habita reverentia: damnatissima undequaque atque infernalis violentia, violatioque. Coniuges in maritorum conspectibus, filias in parentum, Religiosas in Superiorum oculis, infaturabilis atque abominanda Venus mirandum ac detestandum in modum defcendit. Currite lacrymæ, irruite singultus. Emollire forsitan Scythicam illorum poteritis vesaniam, qui in mulierem, coniugali vinculo & fide copulatam, & ob senium virili planè imparem ineptamque congressui, irruentes, suis ipsimet dentibus fæmineum aperuere sinum, dirupere, constupravere: vel saltem eorum, qui puellulam, quam tueri ætas tenella debebat, ætas, inquam, annorum vix novem, arrepto ferro scidere, & castissimo madentem sanguine, foedissimè violavere. Et quid de his dicam, qui filiolas, annis non maiores, eâ violentiâ in actus coegerunt venercos, ut in vitam omnem miseræ ac perditæ, largis, quaquâ irent & obirent, cruoribus triste & horrescens solum conspergerent? Matriona quædam erat admodum honesta, ac vidui sui status observantissima, quam & modestia erga homines, & in Deum pietas plurimum commendabat. Hæc attonita, & quò se reciperet nescia, arreptâ parvulâ, quam brachio gestabat, prole, angulum aliquem protectioni suæ quæritans, velut emortâ mente publicam in plateam & forum ad-usque ciconiæ interfigne procurrit. Hic rabidorum mox leonum vesania materno ex sinu atque amplexu prolem vi abripit, ac pede uno apprehensam in siliicem & muros capite allidit, diffuenteque in terram cerebro, trucidat, ipsâ vivente videnteque matre: cui continuò vestis omnis detracta, discissa, diruptaque, & ne indusium quidem velandæ nuditati relictum fuit. Alibi mater, prolem tenellam lactans ad ubera, pavoribus & anxietatibus agitata, per vicum publicum profugiens, nebulones aliquot, vitæque infidiatores, obvios habuit, qui, adactâ in collum mulieris securi, caput à corpore ita diffundunt, ut, pelliculâ ad mentum integrâ cohærescente, ipsum matris caput in prolem, ubera fugentem, prolaberetur.

Tu plange mecum, Lector, quæ hinc ulterius hæc naturæ monstra attentarint. Cogit tamen & urget dolor, ipsaque rei indignitas, nec se continere potest, quin uberius illatam Naturæ ac Deo ipsi vim sanguineis fletibus prosequatur. Et eritis mihi testes, vos Cœnobij Mi-

noritici & Ecclesiæ muri, neque plangere in æternum desistetis, quæ vidistis, spectastis, tolerastis, nefanda, horrenda, abominanda. Videre hîc fuit, inter ceteras fugâ allapsas mulieres, impudentissimâ scortatione in ipso templi sinu compressas, Virginem quampiam, Deo devotam; quam plures in Venerem, canum instar, urgerent. Aderant in Ecclesia Religiosi eiusdem Monasterij aliquot, quos in societatem criminis evocant, his ferè verbis, *Venez mes Peres, c'est un freiche morceau, vous n'aurez point les veroles.* Interim dum se virgo constantissimè defenderet, Religiosorum quispiam, sumptâ licentiâ, impudicos hosce scurras acrius increpat, Virginem hanc, Deo consecratam, in Dei se sui sponfam iam pridem tradidisse: Deo ipsi illos facturos, quod virgini intulerint. Respondent Athei (neque enim ab ore, Deum agnoscente, prodire quid simile posset) & per inexplicabilem contemptum huiusmodi proferunt verba, *Gaudere Dei se sponfam nactos esse.* **DEO SE HODIE CORNVA POSITVROS:** Simulque unus virginis arripit caput, alij duo per pedes tenent, reliqui suo ordine, velut juratâ nequitia, devirginant, stuprantque.

Quin tu, qui orbem circuis, & radios tuos in hæc templa dispergis, quin, inquam, lucem in tenebras, tristemque vertis caliginem? Forsitan, quos detecti & expositi sceleris non retrahit pudor, superinfusum Chaos & turbator noctis compescet horror. An non vides obvias quasque, sine delectu sine respectu ullo, omnium in oculis, in plateis publicis, in locis sacris, in Ecclesijs, violari? Non vides matrem, civis è plebe honesti conjugem, prole parvulâ, amicissimo sibi pondere, inter brachia gravem, incusso in pueri cerebrum gladio, mox illam ipsam, nullo non vidente, & quò, Deus bone! trahi ac protrahi? An non intueris devotam Deo virginem, virginem castissimam, ita à sycophantis his tractari, postque multas ineptiarum ac libidinum conglobationes, eâ crudelitate ac violentiâ exagitari, ut ipsum etiam crus in partes ei confringant, unde pauco pòit tempore velut evulsam horum nequitijis pijsimam Deo animam reddidit? An non iterum vides virginem, Deo addictissimam, & longè honestissimam, sexaginta circiter annos natam, viro Ecclesiastico à curis domesticis, & ut talem ab impudicissimis hisce canibus agnitam, veste primùm omni spoliari, mille interim calumnijs, ut presbyteri scortum, impeti, deinde nudam, avulso indusio, infinitis exprobrationibus obrui: hinc in voluntates omnium veluti per turnum cogi: indeque aliò nudam deduci, alijs tradi, deludi iterum, in libidines, ut antè compelli, tantâ rabie, ac vesaniâ, ut ex sola hac tam infanda opprefsiõne paucos post dies in Hospitali D. Laurentij animam exhalarit?

Frustrâ

Frustrâ tamen in lucem & Solem queri liceat, ubi tenebræ & noctis umbra audaciam impudentiæ suggerunt, & augent temeritatem. O Nox! nox illa, quæ horribilem illam nonam Junij diem subsequi non verebaris! Nox horrida, nox infernalis, Plutonica, barbara, infamis, sacrilega, infanda nox! Quis tua enarret facinora? quis vel mente scelera concipiat, cum per Monasteria, ac Deo dicata, consecrata loca, furente grassabarilibidine, nec quidquam ita Dei esse crederes, quin scædare illud, opplere scortationibus, impudentiâ dissipare, tuum esse existimares? O vos muri, qui sacratissimas Virginum societates in perpetuas Dei Optimi Maximi laudes fouebatis, quid nî rumpebaminî ad hos strepitus, ad has innocentæ vociferationes? Quid nî disrumpebaminî undique, & hosce veluti Dearum choros, mortis avidos, dum anhelos pudicitæ vel defendebatis ruinâ, vel ruderibus opprimebatis? Cessit violentiæ invicta & duplicatâ lauru victrix Castitas: sed heu! cessit. Plura de his lugere me non patitur dolor; & dum apud Annuntiatas verè Virgines, neque Sacerdotum ac Minoritarum copiosissimo sanguine, unius nece, alterius decem in solo capite vulneribus, ac tertij alibi interfectione, modum nequitæ dari conspicit, subtrahit se materiæ, ne hos sine modo modos immodicè deslere compellatur. Itaque sisto paululum has lacrymas, nimum, ut vereor, præproperè in eandem mox iterum convertendus.

Abierat iam dies illa Sabbati, & impatiens horroris nocturni Sol, novos in aliquam respirationis & consolationis spem radios diei Dominico subinferebat, cum ecce Prætor urbanus, adsumpto altero Ecclesiastici ordinis viro, urbis Vice-Plebano, sub horam sextam matutinam, Principem Orangium in Heilichsemsi Ord. Præmonstratensis Abbatia commorantem, atque in lecto etiam-num quiescentem, conveniunt; breviqûe actarum deprædationum & libidinum, atque inchoatorum incendiolorum factâ narratione, duo ab Orangio multis precibus flagitant. Primum, ne civis, rebus iam omnibus omnino spoliatus, in prædam duci, lytro redimendus, permitteretur. Alterum erat, ut, cum nec vxoribus sua integritas, nec filiabus ac virginibus castimonia hæctenus salva esse potuerit, ab inceptis saltem incendijs mandaret temperandum. Respondit Orangiûs, ad primum quidem, Non posse simul & semel curari omnia: id interim effectum datum iri, quod secundo loco postulabatur, nimirum ut ab incendijs desistatur. Hoc igitur ad multam instantiam in se recipit Orangiûs, promittitqûe incendijs se prospecturum, effecturumqûe, vt nulla amplius per ignes detrimenta urbi inferantur.

Fidem

Fidem Principis à Principe violatam , & indignissimè ruptam non dico. Quid gesserit, quid egerit, quid mandaverit, hoc dico. Mandatum à Principe Orangio totius opidi incendendi datum esse adferebant ij omnes, qui horis antemeridianis ad prædas & spolia in urbem immittebantur. Et iam Sol medio cursu horam circiter diei duodecimam advexerat, cum, Orangi jussu, militum ingens agmen, tympanis pulsantibus, ad forum usque progreditur. Hic mox mutato tympani pulsu, datoque incendij, prædæ, & vastationum signo, cito citius miles in omnem opidi partem dispergitur. Campanis, imò & organis, eadem datur tessera. Omni ergò, vt hæctenus, violentiâ atque impudentiâ ex omni parte, agi cceptum. Nec videre erat vel in momento temporis locum aliquem, quò oculos obverteres, quin flammæ & ignes obversarentur, & in cineres rogosque verti videres univèrsa. Quo quidem agmine ad præstitutum sibi tempus, quæcumque agitaret animo, patrare permisso, mox alia atque alia, nova & recentia, modo, formâ & ratione eadem, cum iisdem mandatis, eadem libertate, iisdem intervallis, in forum & opidum submittebantur. Iterumque plurimis simul, uno eodemdemque veluti temporis puncto, urbis ditionibus ignis substruebatur. Ecclesiæ ac Monasteria flammis donabantur; & cum illæ ignem difficulter conciperent, millia fascium in templum D. Germani, urbis primarium, atque Ecclesiam Dei-paræ Virgini sacram, turrimque elegantissimæ artis ac fabricæ, magno labore congerunt. Cumque Ecclesiæ solidioribus fornicibus hærerent, nec incendium in interiora è tectis ac turribus admitterent, intra ipsas Ecclesias ipsis in altaribus ignes struunt, & fabricas omnes exurunt.

Tanta molis erat Thenensem absumere flammis

Urbem: tantoque conatu ac studio, tam laborioso, in incendia itum est, ut scilicet Calviniana & sanguinaria impietas haberet spectaculum, quo pasceretur. Duravit totâ eâ die, tum nocte ac die subsequente, incendiaria isthæc exagitatio, frigidò, ut loquuntur, sanguine, & primâ utcumque post primam diem noctemque sedatâ rabie, resumpta iterum, quieto destinatoque consilio, tantis fervoribus, tantâ sævitie, tantâ in omne malum contentione, nequitia fuit.

Quid agis, Princeps Orangie? Incēdia sistere promittis, & ecce incendiarios tanto numero, tanto intervallo immittis. Verba Principis fidem requirunt Principis, nî infidus aut perfidus esse malit. In memoriam hîc recurrit aliquid, sed viro Principe nullatenus dignum, quod Thænæ etiam nobis exhibuere. Nonnullus per hos tumultus, & ingruentes malorum ac violentiarum tempestates, à milite in prædam

dam raptus, atque in grave lytrum sollicitatus, extra opidum trahebatur, & insolentiùs tractabatur. Bono casu, si non optato evento, accidit, ut eodem isto itinere Princeps Orangius & Chastillonius versus urbem adequarent. Erectus in salutis spem captivus, militum è numero Orangium inclamat, violentias sibi factas aperit, opem poscit. Orangius hominem benignissimis verbis alloquitur, & excipit, ut apparebat, humanissimè, nec iam dubitabat vir bonus ab ea tanti viri comitate atque affabilitate, certam sibi spondere liberationem: verùm ubi equo habenas admotis calcaribus laxat Orangius, &, quam cœperat, inire viam pergit, obversus ad Chastillonium Gallico sermone ait, *Ainsi fault il donner courage aux soldats: hoc est, Ita animare oportet milites.* Captivus, linguæ Gallicæ non ignarus, cum animadverteret ab ista humanitate artificiali nihil solidæ spei sibi expectandum, sed ventosa dumtaxat à Principe data verba, intermisso deinceps omni ad Orangium perfugio, melioribus, quibus potuit, modis cum militibus de lytro pactus est. Indecora atque indigna in Principe est hæc animi à verbis vacillatio. Et vili etiam conditioni servanda fides. Sigismundus Imperator, militi cuidam suo, promissa exigenti, dixerat: *Immoderata fuit, amice, petitio tua.* Ad quæ cum respondisset miles: *Poteras negare, cum peterem, nunc autem sine turpitudine, quod promissum est, rescindere non potes;* subiecit mox Imperator dignam Imperatore & Principe sententiam: *Si ex duobus alterum nos facere oporteat, rerum potius, quam datae fidei, iacturam subibo.* Homini igitur etiam gregario fidem Princeps servet oportet, magisque etiam, cum ea populo, cum Republicæ data. Imò & Turcæ ipsi hîc exemplo sint. Amurathes, Turcarum Imperator, cum instigaretur à filio, ne Dibrensi præsidium, iuxta fidem datam, per medium suum exercitum incolume ire permetteret, cum tot mala ab eo perpeffus esset; filio nequaquam acquievit, sed respondit, *Nullam inter mortales maiorem esse, quam fidei servandæ necessitatem.* A Turca discat Batavus, quid Thenensi opido, post promissam ab incendijs libertatem atque indemnitate, debuerit: ab incendijs, inquam, contra fidem decretis, iussis, mandatis; ab incendijs, tantâ civium strage, & multorum proprijs in ædibus adustione, rerum, quæ restare poterant, deprædatione, atque infami omninò libidine, veluti pro coronide, instructis.

Ignoscite oculorum lumina, si novis hîc vos lacrymis obruat dolor. In horam circiter quartam pomeridianam Dominica dies decurrerat, cum dispersis quaquaversum flammis, etiam publico ægrotum Xenodochio ac Nosocomio ignem injiciunt. Tutela hîc præ-

reliquis certior sperata effecerat, ut mulierum ac vetularum magnus huc numerus velut ad asylum confugeret. Accidit, ut ad primum in Xenodochium illapsam, in ipsius Monasterij ambitu octo prolium mater furibundis occurreret; prolium, quas partu postremo gemellas habuerat, unam inter brachia & amplexum tenens. In faminam hanc ubi incurrunt, prolem, à matre abreptam, arrepto pede in muros ac pavementum vertice incutiunt, cerebrum excutiunt, & in conspectu matris interimunt. Stricto quoque inde gladio, frustra à obsecrante muliere, à latere in latus cor utrique tranverberant, tristissimoque uno funere innocuam matrem sobolemque trucidant. Quæ Superiorem eo in Monasterio & Xenodochio agebat, longiori tabe exhausta, & lecto non ita pridem affixa, ad eam animi & virium infirmitatem devenerat, ut Sacramentis pro viatico (priusquam Thæzæ interciperentur) munita, diem & horam quotidie ultimam præstolaretur. Ad fugarum, clamorum, & eiulatum horrores, & ipsa turbata consternataque, ut ab inhonestis potissimum conculcationibus immunis evaderet, cum saltem ægris parcendum sibi persuaderet; ad publicum Xenodochij sui Infirmatorium deferri se Religiosarum manibus curat. Verum mox è lecto inhumanissime in nudam deicitur humum: & cum à Religiosis suis in lecticam identidem reponeretur, iteratis deinde vicibus in pavementum deturbatur; donec eadem Religiosæ Matrem suam pænè moribundam, meliori, quo poterant, modo inde auferre, & in vicinam Abbatiz Heilichsemenensis domum deferre sunt coactæ. Erat in eodem Infirmatorio, præter ægros complures, mulier quæpiam morbo afflictæ, ac gravi utero, vicinaque partui. In hanc, nullo habito pudoris & naturæ intuitu, meretricij hi lenones provolant, & unus post alterum, quasi servato circulo, omnium in oculis violant, & in luxuriosas contentiones foedissime abutuntur. Pluresque aliæ, quas huc veluti asyli, ut sperabant, opinione omnis generis mulieres & vetulas sese recepisse antè commonui, in libidines promiscuè conversæ & compulsæ sunt. Demum incensâ, vastatâ, destructâ Ecclesiâ, sanctissimi Sacramenti ædiculâ, pulcro è lapide fabricatâ, bombardarum violentis dislosionibus impetitâ & deformatâ, vasis sacris ablatis, oleo sacro in terram profuso, omni que factâ depopulatione, atque igne ædificijs injecto, procul dubio ægros omnino omnes vivos exussissent, nisi una senex admodum Religiosæ à reliquo Conventu, ex urbe sub matutinum tempus profugiente, per tumultus separata, & ad Xenodochium iam incensum redux, plures flammis imminentibus extraxisset. Aliquot tamen relinquere coacta; quos ignis vivos corripuit, & lugendos in cineres redegit. Ita

missa

missa fuere susque deque omnia, & rabidum furoris militaris ferrum incendijs undequaque & infami Venere armatum fuit.

Omittere non possum, quin hic addam oculatum & auritum, tam punitionis divinæ quam præmissi antea sceleris, extremi utrimque mali, testem. Narrabat is sese post hostium è Brabantia fugam in Gochenfi, ditionis Cliuensis, opido, vidisse inter ceteros afflictioris valetudinis, militem quemdam Francum, cui tantus inerat putor, vermiumque tanta copia condensatioque, per totum corpus ad barbam usque genasque reptantium, ut inveniri corpus hominis etiam miserimi tam pediculosum non possit. Is, inquit, gravissimis dolorum tormentorumque imo è pectore divulsus malis, nihil præter mortem ingeminabat, exoptabat: ignoscere se clamans interfectori, nec ignoscere dumtaxat, sed & opem finiendis tantis pœnis orare, obtestari. Has inter voces illa illa vivax inter mortis minas conscientia, Deo ita compellente, quæ non insonabat scelerato pectori, quoties non increpabat, quæ non impellebat flagella! Nec silere lingua potuit, quod loquace nimium intus silentio, conscia sibi mens acerbius occlamabat. Itaque fatetur & edicit liberè, se Thenis violentum virgini stuprum intulisse, exsatiataque libidine, utramque crudeli ferro abscondisse mamillam, postque tormenta hæc omnia, tantum cum otio illata, absem in ipsum cor abdidisse, & trucidasse. Quid mirum, tanta ab impudentia, impudicitia, crudelitate, tyrannide, non nisi tanta, uti consecuta sunt, animi corporisque vulnera, & tormenta, Deo vindice, enasci? Velim, ut ipse hinc æstimes, Lector, censurasque, quid de alijs iudicandum arbitraris. Testem habui oculatum, qui assereret, unam in filiam facilè centum, aut paucos certè minùs, velut abiuratâ omni pietate, unum post alterum, irruisse, eamque sic obruisse, violasse, commaculasse, perdidisse, ut nec abire in pedes, nec mulieri similem se referre videretur. De alijs quid dicam, quas intoleranda libidinum vis tantopere obruit, corrumpit, contemnerat, ut per vicinas urbes, remedia medica restituenda aliquousque naturæ adhibere, & lectis tantum non moribundas adherescere necessum fuerit. Celebre passim, constuprationes & oppressiones, ad plures horas, in unam & eandem certatim continuare.

Quæ universa quis vel citra lacrymas memoret, vel audire citra singultus sustineat? Premitur tamen natura pudoris ipso quasi pondere, & lacrymas reprimit ac compescit horror, quas dolor provocarat. Nihil ergò ultrà plango. Meminisci ultrà non valeo tot virginum & mulierum, colligatis in tergum brachijs, in ipsis sacratis Ecclesijs, resupinè iacentium, & post incredibiles iisdem in locis op-

pressiones emortuarum. Vnum tamen, etsi retrahente horrore, lugere sanguineis velut lacrymis cogit dolor. Eritque id tale, ut universus intelligat orbis, & inclamet, Naturæ nihil omninò integrum à Francis ac Batavis relictum Thenis fuisse. Matróna erat opibus & conditione supra vulgus civium prædita, ab annis aliquot ita languens, ut, incessu omni eam destituente, lecto affigeretur. Hæcubi boatuum, fragorum, incendiorum, violentiarum audit & spectat catastrophæ, suis mandat ancillis, uti in Monasterium certum, asyli causâ se deferri curent. Eò delata, cum depopulationes & horrendas irruptionum furias videt, ipsisque nihil tutum Cænobijs esse animadvertit, ad primariam opidi Ecclesiam, D. Germano sacram, transferri postulat. Hic quæ non in mulierem pænè septuagenariam perpetrata? Alijs eam per templum arreptis crinibus immitissime raptantibus, alijs, pulvere nitrato pectori imposito, ignem pulveri admoventibus. Ita concussam divulsamque cor suis veluti è sedibus exsilire cogunt, ipsaque mulier inter mortis palpitaciones, & disruptiones, incusso insuper violentissimo in pectus pede, in pavementum exanimis deturbatur. Nec hoc satis: etiam in mortuam (ò inauditam barbariem!) vestibus nudatam, inferni ea prostibula, ipsiusque Orci satellites, turmatim atque in orbem, numero facile quinque & viginti, procidunt, fœdant, opprimunt, constuprant. Heus quid non in viventes actum, cum ita, adversante integritatis omnis horrore, violatæ etiam moribundæ ac mortuæ. Sub turri eiusdem Ecclesiæ D. Germani plures virgines, mulieresque oppressæ, colligatis retrò in dorsum brachijs, nudæ, omni que tegumento spoliatæ, atque interfectæ iacebant. In hæc ergò cadavera saltabundi velut choreas & plausus actitabant, simulque campanas, quasi in spectaculi & mortis conclamationes, pulsabant, ut reperiri pænè aut fingi modus non posset, qui eorum obscœnitati defuisse videretur.

Siste modò decoris omnis Natura parens, & cum te ab ijs, qui & Christiani & Christianissimi haberi volunt, ad eò fœdatam, violatam, oppressam, conculcatam, & velut nequitie omnis compendium ac spectaculum, prostitutam, luges & plangis, idque publicè & promiscuè in locis cum sacris tum profanis, in Ecclesijs, in Monasterijs, in vijs & compitis, in conspectu totius & urbis & orbis, absque reverentiâ aut respectu ullo, nullâ nec ætati, nec sexui, nec statui, nec conditioni datâ libertate: siste, inquam, & priscam illam decoris faciem tristissimis tenebris involve atque obvela, si potes, teque à conspectu Christiani orbis, procul ad Scythas ac Getas retrahe; præsidium fortè aut ultorem tantæ iniuriæ repertura apud Barbaros.

Et tu,

T H E N E N S E.

21

Et tu, Orangie Princeps, Princeps, ut hætenus visus eras, humanissime, quid agis? quid moliris? Vbi iam illa de te elogia?

Quo quisque est maior, magis est placabilis ira,

Et faciles motus mens generosa capit?

---- *quisquis est placida potens.*

Dominusq; vita, servat innocuas manus,

Et incruentum mitis imperium regit?

Nónne, qui à mansuetudine commendationem postulabas, revocare in memoriam illud debebas Claudiani?

Sis pius in primis. nam cum vincamur ab omni

Munere, sola Deos aequat clementia nobis.

Nec tibi quid liceat, sed quid fecisse decebit

Occurrat, mentemq; domet respectus honesti.

Victoriæ repete atque inspicere occasionem, difficilissime ea fuerit & multi sanguinis, an moræ longioris aut gravioris alicuius discriminis, an ad versus pertinaces, aut in ditionem promptos: & reduc in cogitationes tuas illud, quod scire Princeps debueras, quodq; de Cyro Rege in Cræsum victum mansuetè dominante, hostemq; suum, à se debellatum, & captum, donante vitâ, & patrimonij parte atque urbe Barce, refert Iustinus, *Quanto bellum minoris periculi, tanto & mitior victoria fuit.* Bellum in Thenas, Princeps, nè vel minimo tibi periculo stetit. Cur igitur non mitior victoria, sed intolerabilior & omni sævitiâ sævior violentia?

Quid de te quoque dicam, Rex Christianissime? Exercitum amplissimum sub Chastillonio ac Brizeo, atque illo quidem hæretico, hæreticis hominibus, & Principi suo rebellibus, signato iungis foedere, eoq; in Brabantia Deum, Diuosq; ac quidquid Deo dicatum est, laceras: tu tuo te ore iudica. Illudne vel Christianum? Sed fortè non idè tuos miseras. Profectò tui ista fecere, quos miseras; & quos sub hæretico capite miseras, & quos in Belgium Catholicum, ab Hugonottis tuis, ab hæreticis Batavis superandum, miseras; & quos cum ijs, qui hæreses inuecturi, Episcopatus & Abbatias Calvinismo incorporaturi erant, miseras. Quid, inquam, dicam? Nihil ipse dicam; sed quid socij tui, quid Orangiani ipsi nunc dicant, & passim dicant, hoc audi. Nónne omnis rei nefandissime ad Thenas gestæ unica Orangianorum hæc est excusatio, Francorum proterviâ accidisse universa, eos cohiberi non potuisse: nihil eos Principis curasse imperia? Hoc enim & *Daniel Heinsius*, publicus apud Batavos Professor atque Historiographus, missis sua à manu, ex urbe Leydana in Brabantiam litteris, scribere liberrimo stilo & calamo ausus

fuit, nempe recessum ab opido Lovaniensî exercituum, tui atque Orangiani, non fugam aliquam fuisse, quam aut obfessorum virtus, aut hostium timor genuerit, sed clementissimam Principis Orangij mansuetudinem: qui, cum videret eadem à Francis in Lovanium, quæ in Thenas, decreta & constituta esse (urbem videlicet hanc Brabantiae primariam delere funditus, & ferro flammæ ac libidine omni diruere,) cum videret, inquam, Orangius ab hac obfirmatâ mente Francos nullâ rationum vi posse divelli, statuerit, elegeritque, pro innata sua & admirabili mansuetudine, Lovanium non vincere, & recessum potius, etiam cum fugæ similitudine ac dedecore, arripere, quàm tam abominandas Francorum rabies ac vastationes permittere, vel spectare. Hæ sociorum tuorum, ô Rex, de te, tuisque voces sunt. His pulpita, his plateæ, his fora, his aulae perstre-punt. Scilicet posteaquam duplex ille exercitus, & tuus & Orangianus, unanimi conatu, unâ voluntate, pari studio, in rabidos furores, furiosas libidines, libidinosas vastationes, vastabunda incendia, sese adversus Deum & Naturam effudit, Orangius Clementissimus, Mansuetissimus, Pijssimus Princeps est. At Francicus miles, Ecclesiarum, Monasteriorum, urbisque vix victæ, deprædator, devastator, incendiarius: item Sacramentorum, Religiosorum, Sanctimonialium, virginum, mulierum, viduarum, ac demùm omnis fidei iurisque obscenissimus atque impijssimus violator. Qui etiam Thenensî sanguine, flammâ, & depopulatione necdum satiatus, inexplebilem crudelitatis animum Lovaniensium adhuc cruoribus imbuerit tam abominandâ ingluvie firmum sibi statutumque esse voluerit. Hæc de te fœderati tui, ô Rex, hæc socij, hæc amici. Verùm an Majestas Tua omnia hæc facinora, in quibus non Orangiani minus, quàm tui, partes suas habent, in te solum ab ipsis socijs tuis liberrimè conijci & congeri, æqui bonique consulat, equidem iudicio & sensui Tuæ Majestatis lubens permitto.

Profectò in Thenarum ista horribili defœdatione, ædium quingentarum sexaginta octo (perpaucis dumtaxat superstitis) templorum septem, Monasteriorum sex conflagratione, triduana urbis totius deprædatione, virorum mulierumque captivitate, Sacramentorum conculcatione, virginum & fæminarum oppressione, mortuorum fæminei sexus cadaverum tam abominanda violatione, ut ab ea deinceps hora ipsimet hostes diuinam imminere ultionem occlamarant, nihil habet, quo se excuset Orangius, nihil, quo Marefcalli Chastillonius Brizeusque: nihil etiam habent, quo se excusent Franci atque Orangiani. Ille, ille vidit, non impediuit, voluit, iussit: hi fecere

T H E N E N S E.

23

fecere, quod libitum, quod imperatum. Nec Franco-Batavus, aut Batavo Francus purior aut innocentior. Quod uno in facinore palmarium uni fuit, id in altero alter explevit cumulatius.

Quid quòd maturo consilio & ex composito ita de Thenis decretum constitutumque ab hoste fuerit, priusquam ad Thenas unquam adventaret? Nempe ita necesse erat, ut Thenæ ferro flammisque & omni libidini traditæ toti reliquo fideli Belgio essent horrore: ne deinceps reperiretur urbs, quantumvis fortissima, quæ tantæ crudelitatis & immanitatis pericula tergiversando aut oblectando auderet expectare. Nonne hominem exhibere possum, cui admirabundo, cur Thenarum ciuitas, quæ multo tempore totis hostium exercitibus annonam subministrare poterat, & tam commoda, tanto studio exureretur, dixerit responderitque ipsius Orangij Principis Secretarius, tam necessariam utrique exercitui, Franco-Batavo, susceptæque expeditioni illam Thenarum esse exultionem, quàm cibus potusque necessarii humanæ sint sustentationi.

Cardinalis Austriacus dum in suis apud Lovanium castris inexplicabilem Thenensis opidi calamitatem ac vastitatem, adversus consuetudinis bellicæ & tractatus publici fidem, tanto impetu ac furore illatam intelligeret, quamquam pro innata ab ipsis incunabilis mansuetudine cuncta summo animi dolore persentisceret, nihil tamen perinde eius commovit animum, nihil ita Regiam mentem in ipsas usque medullas penetravit, quàm illa infamis, sacrilega, cacodœmonica, S S. E V C H A R I S T I Æ Sacramenti irrisio, irreverentia, proteritio, dissectio, conculcatio. Summoque intimi animi sensu in hæc verè Regia, verè Catholica, demùm prorumpebat verba, *Confidere se, nec dubitare, quin sanctissimum hoc Sacramentum, quod modò hi Dei hostes ac perduelles pedibus obterere & conculcare non vererentur, super hos ipsos impiorum vertices ac capita erigeret, constitueret, sublimaret.* Certè amplissimi & humillimi erga sacratissimum hoc mysterium affectus luculentissimam continet significationem, quod ante has turbas in urbe Bruxellana idem Princeps exhibuit. Etenim cum ei Pastor, ægram viatico hoc extremo muniturus, occurreret, è rheda, quæ vehebatur, exsiliit. Factaque in terram adgeniculatione, aperto capite, Presbyterum in ægotantis usque ædes, indeque in parochialem Ecclesiam pedes secutus est. Nec erat, qui ex oculorum totiusque corporis modesta reuerentia submissum fide viua animum non spectaret. Quid de eo dicam, quòd post elapsos fugâ hostes, cum circa Diesthemium cum exercitu Cardinalis ageret, instaretque illa dies, quæ miraculose Sacramenti, Btuxellis memoriam publicè ac solem-

ac solemnī Supplicatione celebrant; è castris Lovanium, indeque eodem die Bruxellam eo solo titulo profectus sit, ut die subsequente huic sanctissimi Sacramenti deportationi interesset. Et quæ non tunc ei facies, qui oculi, quis vultus? Nemo erat, quin solo ex aspectu in devotionem rapereur; nemo, qui non eo illum animo esse conspiceret, quo sibi frequens Davidicum illud veluti ingemineret: *ante Dominum vilior fiam, plusquam factus sum, & ero humilis in oculis meis.* Progredere, Princeps piissime. Deus, quem reuereris, Tuus erit: & erit Dominus protector Tui, timentis se, seque amantis.

Thenis hostes hostilia quæque à Sabbatino, quo ingressi sunt, die ad seram usque vesperam diei Lunæ, omni libidine exercebāt, donec tandem à nimia ea vastatione, cum nihil omninò reliquum, quod vastari posset, restaret, dato tympani signo decederent. Datum tum urbi aut vallo potius urbis præsidium aliquod, quod tum demum egressum opido, cum post desertam solutamque fugâ obsidionem Lovaniensem, reliquo cum exercitu Diesthemium, indeque in transmosana regressum est. Interim omni eo tempore urbi non tam præsidio, quàm excidio potius ulteriori, milites illi fuere. Si quid alicubi civi inter rudera integrum esse poterat, si quid amissâ rei formâ in argenti autive massam cliquatum, si quid absconditæ defosæque supellectilis, id illi perpetuò indagare, perquirere, & inventa aut occupata quælibet in rem suam, velut æquissimam iustissimamque prædam, convertere. Aded ut Thenas non tridui dumtaxat, sed integri mensis spatio, subjectas prædæ fuisset, verissimè fatendum sit.

Verumtamen hîc se misistabundus ingerit, quiaam dudum felicitates scelerum æstimare didicerat, Ovidius:

--- *Neque enim lex æquior illâ est,*

Quàm necesse artifices arte perire suâ.

Oculos vix à Thenarum ferali excidio avertō, quin vindicem Dei manum in Orangium Francoſque conspiciam, & Orangius Francique patientur. Etenim quis non admiretur eos, exusto vastatoque hoc opido, decem postmodum diebus Roofbecano vicinisque in agris hæerere, nihil progredi, agere, tentare nihil? cum tamen omnis conatum propositique felicitas in sola ferè acceleratione consisteret. Verum turbat impiorum consilia Omnipotens, factum premit, punit scelera. Rogo te, Orangie, & Vos Mareſcalli, Vobisne aut exercitibus vestris annona parcior & deficiens hanc moram imperavit? At totâ hieme in hanc universa parastis expeditionem. Diebus plurimis ad Mosæ-Traiectam otiosi obhæstistis, priusquam in Brabantiam iter promouerentis: & modò vix ad unum alterumve miliare,

liare, dittonem, quam spe devorastis, ingressi estis, & vel tum ea vobis deficiunt, sine quibus nec consilium prudenter arripi, nec expeditio progressusque valeant sustineri? Nonne hic ultorem sentitis Deum, sentitis persecutorem? Sed fortè Infantem timetis Cardinalem Lovanij ad Diliam castra habentem. Sed quis timere cum vos compellit ad Diliam, quem ad Getam suis cum munitioibus omnibus contemnebatis, ad Thenas irridebatis? Verùm explorandæ per Diliam viæ, transitus investigandus: videndum Wavriane, an Lovanio, an Rhodio transmittendus miles. At cum Trajecto moveretis, nihil de eo ambigebatis, explorata erant omnia, & non Wavria una, vel Rhodium, sed Brabantia universa, patulum regiumque exercitiibus vestris, certo vobis iudicio, iter præbitura erat. Sed forsitan variantibus opinionibus, belli inter vos consilia diffident? Ea, cum in Gallia essent uniformia, ad Trajectum consonarent, quis tam repente, everfis Thenis, in discordiam protrudit? Deus est, nec alius est: Deus vindex criminum, ultor scelerum perpetratorum. Sed ne his quidem malis mens impia cohiberi, frænari rabies, compesci animi elatio, præsumptio reprimi, libido extingui aut sedari potuit.

Itaque demùm ad diem mensis Iunij viceesimum Lovanij in urbe incendium intempestâ nocte, ut suspicio habuit, procurant: quo cum id efficeretur, ut exercitus Regius, ad præcavendas hic majoris forsitan momenti insidias, aut conatus, distineretur, ipsi hostes eodem penè momento castra subitò moverent, & festinatis itineribus ad Rhodium S. Agathæ ac Vallem Floridam, Virginum Ord. Cisterciensis Abbatiam, copiarum partem, peditatum quidem, cum bellicis impedimentis, per pontes quatuor, tumultuario opere ibidem stratos, equitatum verò per ipsum vadum flumiuis transmitterent, priusquam Regijs de hostis progressu certi quippiam nuntiaretur. Eo itinere Monasteria, Vallis Ducis, eiusdem Ordinis, & prædictæ Vallis Floridæ, unà cum Ecclesijs, foedè commaculant. Ecclesijs etiam ruralibus & villis passim Ecclesiasticis, variam vim inferunt: mox que Ecclesiam Furanam atque Ilcæ inferioris incendunt: Monasteria in silva Sonia, Ord. Canonicorum Regularium, Rubæ & Viridis Vallis, multâ lasciviâ deprædantur, præterque abactas prædas, inutilibus sibi damnis afficiunt; totaque hac expeditione ac vastatione centena aliquot sacrarum Imaginum millia ferro, gladijs, flammâ, diripiunt atque absumunt: virgines & mulieres undequaque reperas in damnatum complexum cogunt. Stupere muri Arcis Furanæ & horruere ad hæc scelera, nec umquam infandas virginum & conjugatarum promiscuas atque in publico hic exercitas oppressiones desinent detestari.

Lubet hîc verissimum quippiam, velut pro epilogo hujus tragœdiæ, commemorare, verissimam profectò & luce clariorem divinæ ultionis in obscenos hosce scortatores tesseram. Accidit, uti duò Religiosi è Familia Franciscana, itineris, quod cœperant, occasione in Gallos quosdam inciderent. A quibus ducti ad Brizeum Marchionem, atque ab eodem dimissi, dum profectionem repetunt, in rusticanam aliquam domum à via oculos conijciunt. Vident plures istic circa domum jacere partim necatos, partim vulneratos, omnes vestibus planè omnibus exutos, nullo tegendæ nuditati relicto permissove tegmine. Eos accedunt, charitatis, si possint, operam etiam inimicis exhibituri, si qui fortè in detestationem criminum sacramque exomologesin queant adduci. Dum propiùs adstant, octo ex ijs animadvertunt vitâ decessisse; tres verò agere animam. A duobus nullum haberi potuit signum doloris aut pœnitentiæ: tertius ad sacras commonitiones animi significatâ pœnitudine, sacramentali absolute donatus est. Porro quod summopere hîc admireris, & vehementissimè viri religiosi stupuere, id fuit, quòd hi omnes, sive emortui, sive extremam animam exhalantes, virgam haberent erectam in Venerem. Ergò delectorum cadavera invertunt, & facie in terram obvertunt, moribundos levi cespite, honestatis intuitu, obtegunt, abeuntque. Rogati dein ea de re ac consulti Medici, naturæne aut cui tandem adscribendam prodigio existimarent hanc secretioris partis in his undecim constitutionem, censuere illi, nullatenus id à natura esse, quippe quæ, deficientibus spirituum viribus, nihil hîc simile aut soleat aut queat operari; sed meram hanc esse Dei ultoris, adversus sacrilegos libidinum incentores, punitionem. Id ut crederent faciliùs, efficiebat alterius cuiusquam rei, in ditione Leodiensi ante has turbas gestæ, memoria. Cùm enim virgo quæpiam, Deo dicata, à nonnullis per scelus oppressa, de illata sibi viquerimonias exposuisset, convenitur à Iuriconsulto aliquo, multæ lectionis viro, & plurimarum per historias rerum observatore, quidam, quem criminis aliqua suspicio notarat. Hic cùm inter sermones rogatus de facinore consciû se penitùs denegaret, Nostin' inquit ille, si criminis verè reus sis, quanto id tempore celare possis? Certè ut ad vitam possis, nullatenus id in morte poteris. Dei enim in facinorosos hos sacratarum Virginum stupratores hæc persæpè est ultio, ut ea corporis pars, quâ in libidinem malè usi sunt, post mortem, etsi naturâ ipsâ vires negante, sese velut in congressum erigat, & infames Veneres modo penitùs admirabili eloquatur. Hanc observationem quis non existimet in hisce undecim confirmatam? Addo, quòd rem
luculentius

T H E N E N S E.

27

fulceniùs adstruat. Etenim post hostium à Lovanio recessum cives per eorum munitiones & deserta castra curiosi & avidi spectatores non pauca offendere Francorum cadavera, quæ omnia partem illam masculam, uti de his undecim dictum, stupendo ultionis miraculo præ se ferebant. Nempe Deus, qui virginum sibi dicatarum, & oblatæ sibi castitatis zelofus protector est, adversus sui & integritatis sibi consecratæ foedatores contra ipsas se foeditates adarmat, ac fuscitat, & adversus vim naturæ ipsam contra se naturam provocat, cogitque vel post obitum infamiam profiteri.

DISCITE IUSTITIAM MONITI, ET NON TEMNERE DIVOS.

Interèa dum ad Thenas Franci Batavique ita desævirent, Regij ad Dilixæ fluminis ripam hoc modo sese disposuerant, ut Lovanium latus exercitus unum, fluvius frontem clauderet: quam etiam, ut reliquas mox stationes omnes, vallo continuato ac tormentis passim dispositis opere subitario obmunierant, equitatu in vicinos pagos distributo. Priusquam verò Cardinalis hoc loco se muniret, ad alteram urbis partem, quæ portis adiacet Diesthemiensi, Thenensi, ac Parcensi, totus peditatus confederat, indeque factâ emigratione ad eam, quam dixi, Dilixæ ripam dies aliquot hæret, priusquam aut obvallare sese milites, aut munire urbem cives juberentur. Tandem duodecimâ Iunij in operas vndeque procursum, Civi & Vniversitati, Religiosisque Ordinibus suæ singulis, inter singulas urbis portas, assignatæ Semi-Lunæ, ut vocant, designatis latisque ex parte cum Vniversitatis tum Civitatis operum præfectis sive inspectoribus, *Carolo Vignacurtio I. V. Doctore, Henrico Hault-homme I. V. Licenti, Hermanno Hiddinga, Carolo Pullio, Antonio Frederico à Dilbeeck, Toparchâ Attenhovio, aliisque.*

Laboratum strenuè admodum fuit, ac paucos intra dies Semi-Lunæ novem excitatæ, absolutæque. In vallo similiter ac mœnibus ipsis ad defensionem adornata omnia: aggeres tormentarij, vulgò *Baterias* vocant, decreti XIV. quorum is maximus & latissimus erat, qui ad Heverlæanam portam eam agri planitiem sibi habebat subiectam, quâ adgredi oporteret hostem, si in exercitum Regium movere eum contingeret.

Miles porro adversus eruptionem hostilem egregie se munierat, longoque trans fluvium tractu, Corbekam usque, vallum & fossas duxerat. Eoque firmiter creditum fuit hosti, decretum Regijs esse hîc figere castra, propugnandaque tum urbe, tum statione sua, hostium

progressum in ulteriorem Brabantiam vi & armis remorari. Eterat id factu non admodum difficile. Etenim Lovanium ad lævam, quæ Machliniam iter est, fluvio Diliâ perluitur, qui hinc Rotfelariam procurrens, ac Demerâ auctus, Machliniam usque cum propugnaculis tum aggere cespititio munebatur. Hâc disposita equitatus pars facilè omnem hostis transitum præpedire poterat: potissimùm cum, obstructis in urbe Machliniensis cataractis, uterque fluvius, Demera & Dilia, latius inundaret, & bonam camporum partem redderet imperviam. Dextrum urbis latus exercitus omnis infidebat, ultra quem mox Silva Soniensis prostratis arboribus adversus profectioem potissimùm militarem defensionis & valli loco esse poterat. Campi insuper Wavriam versus, & ultrà, humiliores, vijs angustissimis, altis è montibus aditum dantibus, tormentis hostilibus transvehendis omninò erant importuni.

His animadversis, nec reliquis ad æquum expeditis consilijs, multis diebus hostis ad Thenas otiosus hæsit, donec tandem occasione, ut antè dixi, incendij, Lovanij ad xii. Kalen. Iulij per emissarios fortè suos sub noctem intempestam excitati, festinatis itineribus ad Rhodium S. Agathæ millia aliquot, Diliâ transmissis, silvas vicinas infiderent, priusquam de hostis profectioe Regijs nuntiaretur, qui durante eâ conflagratione, ad præcavendas proditioes, aut inopinatos insultus, totâ nocte jussi sunt esse in armis.

Ad primum itineris rumorè, Marchio d' Aytona, adsumptis secum paucis equitum cohortibus, Rhodium S. Agathæ properat, & hostem cum ad fluvium, tum in silvulis, exercitus verò totius robur ad labra montis, ex opposito fluvij, considere cum tormentis atque impedimentis animaduertit. Visum fuit, transitum impediri quidem, & qui transcenderant cædi ac profligari potuisse: minori tamen militum numero, quàm res posceret, instructus à principio Marchio erat. Itaque re Cardinali indicatâ, protinus tota se castra ipso cum Cardinale Principe ac Nobilitate Belgica circa horam septimam pomeridianam movent, & versus hostem properant. In conflictum vulgi opinionibus ibatur, cum altero die Cardinalis primas suas copias Bruxellam versus iter carpere, nonnullas Lovanium reverti jubet.

Iudicabat enim nullo modo expedire, ut plenis aciei viribus in apertum Martem conflictumque produceretur ac dubiæ belli acæ exponeretur miles. priusquam quæ è Germania expectabantur auxiliares copiæ, suis junctæ, certiores patriæ tutelam promitterent; Concilijque militaris præhabitâ deliberatione, placuit propugnandis interim urbibus, & impediendæ, quaquaversum id liceret, anno-

næ, ani-

L O V A N I E N S I S. 29

næ, animos esse adiiciendos: hostem enim, incenso Thenarum opido, ac granorum, reliquorumque necessariorum, immensæ quantitatis, exustis istic subsidijs, incolarum undequaque fugâ & dilapsu, inimico in solo, nullâ alicuius nominis aut fortitudinis post se occupatâ relictaque civitate, in plurimarum rerum inopiam atque egestatem solâ temporis morâ aliquâ esse protrudendum, eaque ratione ceteros illius progressus ac conatus de facili sistendos, viresque omnes elidendas. Nec deerant, quæ hisce opinionibus confirmandis rerum retrò præclare gestarum, memoria suggereret. Ita enim Guilielmum, Orangiæ Principem, rebellionis Belgicæ incentorem, Ducis Albani prudentiâ enervatum, excedere patriâ & exarmare in Gallijs militem fuisse compulsam.

In hancigitur faciliè ab omnibus itum est sententiam: verùm illud tandem venit in deliberationem, & seriò agitatum fuit, expediretne Lovanio præsidarium militem imponi, an verò relicto opido, velut ad propugnationem inidoneo, in validiorum urbium defensionem exercitus esset distribuendus. Non defuere, qui sentirent, defendi Lovanium nullo modo posse: permittendum proinde opidanis, ut meliori, quo possint, modo cum hoste paciscantur. Neque enim paucis aliquot copijs, sed bonâ exercitus parte, opus esse, si Lovanium defendendum decernatur. Verùm qui consilijs præest Deus, atque animos Principum præcipuo quodam arbitrij sui numine infidet & gubernat, eam Cardinali Austriaco mentem inspiravit atque opinionem infixit, ut omninò censeret hanc civitatem, totius Brabantiae metropolin primariam, Fidei ac Religionis arcem, omnisque virtutis & eruditionis seminarium, à fratre, Hispaniarum Monarcha ac Belgarum Principe, singulari sibi curâ commendatam, nullatenus hæretici hostis, nedum rebellis, relinqui ac permitti debere voluntati.

Itaque posteaquam, hoste ad Dilæ transcensum relicto, movere Bruxellam versus cœperat, urbi huic prospecturus, *Antonium*, Baronem Grobendonckium ad se evocatum illius Governatorem constituit, militem veteranum, annis meritisque gravem, quippe trinis urbibus Silvæ-ducensis obsidionibus fortiter toleratis, cui etiam velut adnatum in Gallos odium esset. Huic *Conradum* à *Aubremont*, Ribaucourtij Dominum; *Lancelotum*, Baronem Wesemalium, Grobendonckij filium, suis utrumque cum Legionibus, per obsidiones Silvæ-ducensem ac Traiectensem exercitissimis; Legionis similiter Embdanzæ, sub Pro-tribuno *Adolpho Eynhoutio*, ab obsidione Silvæ-ducensi & nuperrimè à Fortalitijs Schenckiani interceptione notissimo, milites sexcentos; Legionem denique Hibernicam, sub Tribuno *Thoma*

preſono, viro apud Hibernos nobiliſſimo, adjungit, & urbi præſidio eſſe iubet.

Hic iterum velim conſcio diuinæ directionis oculo univerſa intuearis. Cum enim, Grobendonckio inſtante, de immittendo alio præter Ribaucourtianum in urbem milite diſceptaretur, exiſtimo non ſine Dei providentia factum, ut Cardinalis, ab aliorum diſcendens opinionibus, qui nonnullos, obſidionibus ſuſtinendis minùs adſuetos, etſi aliàs milites fortiſſimos, Legioni Ribaucourtianæ adjungendos eſſe cenſerent, ipſe in Grobendonckij ſenſum abiens, hos ipſos, concordēs in primis, & ſuſtinendo hoſti exercitatiſſimos, Lovanio deſtinaret & ſentiret imponendos.

Hoſtis diem interim unum alterumve tranſmittendo Dilia & traducendis tormentis ceteriſque impedimentis perdit, multa cum fame depugnans. Silvam porrò Soniam ubi imperviam repperit, ab actis armentorum & yaccarum ex eadem millibus aliquot, ix. Kalen. Iulij Bruxellam inter & Vilvordiam in viculo Voſcappellenſi caſtra ponit. Dum hic hæretur, à varijs in varias opinionum ſententias hoſtium traducta fuère conſilia. Videbatur nonnullis, ex ea profectione conſtare ſatis, hoſtem de Lovanio obſidendo nequaquam cogitare: majora cum ſuis agitare conſilijs: tam opulentæ, victricis & numeroſæ militiæ. Duces ſtolidè facturos, ſi adverſus inopes Grudios occuparent arma: quòd ea urbs, Gubernatore militiæ in primis gnaro, fortiſque milite inſeſſa, non niſi temporis cum intervallo & damno capi poſſet: quòd interim belli & ſuppeticarum ſucceſſus anceps, præmium victoriæ ferè nullum, detrimentum à mora ſatis videretur manifeſtum. Alijs ex adverſo viſum eſt, imprudenter acturos hoſtes, nã Lovanium armis petant. Urbem, præſidio militari inſeſſam ac munitam, poſſe com meatibus hoſtilibus plurima inferre damna, remorari & impedire annonam: non eſſe è re atque experientia militari, exercitum alienã in patriã adverſis ſeſe civitatibus includere. In urbe autem bello in aſſueta facilè deſuturum quippiam, ſine quo ſuſtineri deſenſio non poſſit. Quòd ſi verò potiri Lovanio datum ſit, commodiſſimam Dieſthemio, Arſchoto, Thenis ac Leodio comparandæ atque advehendæ annonæ apertam fore viam. Diliam quoque ac Demeram, munitionesſque ſeu propugnacula à Regijs hic conſeſta, deſertaque, ſimul in poteſtatem redigenda: ita quã aquã, quã terrã poſſe ſuppeditari exercitui undequaque omnia. Poſſe etiam hoſtes, ſi fortè ulteriorem fortuna neget progreſſum, Lovanio occupato, ſe inibi tueri, præſidijſque, quòd aliàs ad Moſam Rhenumſque haberi eſt neceſſe, bonam partem imponi Lovanio: atque ita fore urbem

L O V A N I E N S I S.

31

urbem illam fortissimam, Brabantiamque universam, & pleraque Comitatus Namurcesij, Hannoniæ, imò & Flandriæ, loca ad contributiones compellenda. Alij denique facillè eam in sententiam ob causas ibant, quòd quidem hostis Lovanium impetiturus esset; attamen censebant, istud argumento futurum, eundem hostem, majorum, quæ concepisset, moliminum scopo & spe excidisse.

Dum ita plurium opinionibus hostium expeditio distrahitur, ipsi demùm ad munitionum & præfidiariorum, civiumque Bruxellensium, in arma adscitorum, famam, obtinendæ eius urbis & majorum successuum desperabundi, Ducali aulâ è vicinis procul montibus, silvisque non nisi conspectâ, exercitum retrò in dextram & tergum obvertunt, & obsidendo Lovanio obijciunt.

Igitur ipso D. Ioannis Baptistæ natali die circa horam decimam primò Franciscus miles sese spectandum Lovaniensibus exhibuit. Et quidem equitatus visus ascendere eum montem, qui à montis Calvariæ Sacello ad latus viæ Bruxellanæ protenditur: peditum verò cohortes aliquot Monasterium occupant Banckenfè, in eoque Marefcallus *Chastillonius* stationem sibi eligit. Alibi, retrò Calvariæ Sacellum, ad villam Diependaliam & declive montis, copiarum Gallicarum altera pars sub Marchione *Brezeo* castra figit. In arce Hevelleensi rei marchinariæ Præfectus *De la Maillier*, quem vulgò, *Le grand Maître* vocabant, stativa sua habuit. *Orangius* verò cum suis in pago Herentensi vltra montem Roesellanum confedit. Primumque studium huius fuit, adversus omnem vim externam, ab ipso Dilia flumine per agrum Herenteum, Velthemum usque, sese munire, & totum illum, quâ longè lateque distenditur, montem vallo fossaque profundâ includere; ipsoque in monte quaternâ aut quina castella sive propugnacula operis solidioris erigere: adeò ut continuatis ad Velthemi usque fines munitionibus, binoque istic excitato propugnaculo, ac reducto brachio ad villam Diependaliam, securè in Francorum castra sub Brezeo Marchione procederetur. Copiarum porrò hostilium numerum discere ex ipsa hostium declaratione licet. Adferebant illi, cum Trajecti ad Mosam transmitterentur, habuisse in signis peditum ultra quinquaginta millia, equitum millia undecim, curruum millia quinque, tormenta ænea ultra ducenta. Tantis ergò copijs Lovanium impetitur: primoque accessu, ubi propinquior conspicitur hostis, tormentis è vallo agi cœptum est, & mutuis dislosionibus belli è longinquo præludia exercentur.

Erant extra portam Bruxellensem & Machliniensem domus aliquot excipiendis viatoribus & peregrinis ædificatæ: eas tolli incen-

dio Gu-

dio Gubernator iubet, hosti alias latebras & accessum daturas. Acciderat quoque per hiemis, aquarumve inundantem vim, ut aquae pluviales versus urbis fossas delatae, plurimum secum terrae in eam, quae ad portam est Bruxellensem, deferrent. Periculosa certe alluvies, si obsidionem futuram praesagias. In ligones ergo traductus miles, munitiones sibi aliquas effodere incipit, additoque Cive & Religiosis portam vallo inducit & includit, ac suggestu tormentario superne obfirmat.

Vias satis profundas & valles Banckenle Monasterium sibi vicinas habet. In his sub Chastillonio miles disponitur, ac confertim eas Baraccas, ut vocant, quas exercitus Regius, cum hinc loco moveret, reliquerat, illuc comportat & componit. Erat & hinc silva ad montis finientis descensum, eaque qua urbi fit propinquior & iterum acclivior cerasis obsita. Hanc comportatis aliquot corribus tormentarijs, & leviore per montem erecto vallo, suam in potestatem hostis redigit.

Obsessi conatus hostiles turbaturi, & nemusculum excisuri, binâ eruptione per Walones Hibernosque susceptâ, insigniter latitabundos lacessivere, primamque hinc in Francos invasionem Baro fecit Wesemalius, qui ex eo tempore cohiberi ne à patre quidem Gubernatore potuit, quin perpetuis conatibus ac bellis adversum in Gallos animum & exerceret dexterâ & sanguine satiaret. Ut verò ad Cerasetum inutilis hostium redderetur machinatio, extra portam Bruxellensem ac Vinearum seu Vilvordiensis, ex opposito eiusdem fossas ductiles obsessi producant, varijsque septis circumscriptas semi-lunari opere praemuniant. Insignis hic Walonum Hibernorumque militum virtus laceffendo dispellendoque hosti enituit, varijsque excursionibus huc illucque bellatum est, ut mox videbimus.

Grobendonckius interea urbis situm & statum adit, circumit & lustrat, & quae in rem natam erant, disponit ac mandat. Praesidio autem mox ab ingressu in urbem stationes suas sorte diviserat, ne æmulationi aut invidiae inter Tribunos locus quispiam relinqueretur. Ita Ribaucourtio obtigit porta & statio Bruxellensis & Heverlaëana, Prestono Vinearum & Machliniensis, Eynthoutio Arschotana & Diesthemiensis, Thenensis verò ac Parcensis Wesemalio. Sic tamen, ut qui suis in stationibus hostem minus imminentem paterentur, Legionibus alijs continuo in qualibet necessitates submitterent suppetias, in partemque venirent excubiarum, & aliorum onerum.

Erat praesidiarius hic miles ad quattuor praeter-propter millia: quod numero defuit, à virtute mutuatum est. Solis Hibernicae nationis, uti

nis, uti in bello minùs exercitatis & tironibus adhuc, defuturum animi robur quidam occlamabant, & ita iam per ora vulgi ferebatur, Importunè nimirum nec utili consilio Legioni huic stationes adversus hostem primarias esse demandatas: committi ijs eas oportuisse, qui obsidionibus iam pridem exercitati, propugnationum instituentiarum Martiâ gloriâ famam hætenus sibi peperissent. Similes cæteroquin omnes penè esse præsiarios, si solos exceperis Hibernos.

Prestonus itaque, magni animi vir, Legionem universam convocat, atque ardentissimâ adhortatione suorum animos experitur, Primam hanc gloriæ aream esse, nec umquam ante hac alicuius urbis ab hoste obsessæ defensionem eis fuisse concreditam: id modò in nationis decus magno loco reponant, eo loci sese constitutos, ubi hostium prima vis foret excipienda, retundenda. Non huius solùm Legionis, sed Hibernorum omnium hâc veluti personam geri; omnium laudi cessurum, quicquid ab his strenuè, magnisque viribus actitatum fuerit: veniam dare se, atque è militia excedendi copiam, si quis aut inexperientiâ, aut metu, imparem se bello existimet. Id unum statuunt omnes, aut servare urbem, aut mori. Hîc una & unanimes omnium acclamatio, Nomen militiæ sese ultrò dedisse, idque non inertîâ, sed virtutis & consecrandæ gloriæ causâ; excedere se omninò nolle; Tribuni mandatis ad extremum usque sanguinem obtemperaturos, nec urbe hostem, nisi per conculcata eorum cadavera, positurum. Hoc modo ardentior atque animosior miles ille insignem profectò animi virtutem multâ præliorum gloriâ testatam effecit: adeò ut dicere de inassueta bellis Legionem mox licuerit,

Est hic, est animus lucis contemptor, & istum

Qui vitâ bene credit emi, quò tendit, honorem:

honorem, inquam, non tam suum, & gentis suæ, quàm sanctissimi & augustissimi SACRAMENTI. Tametsi enim Prestonus, instar laudatissimi à Xenophonte Cyri, bellicâ suos adhortatione animaret, sciretque verum illud Marci Catonis monitum, summam laudis & gloriæ æstimationem militum animis esse imprimendam: tamen diviniore & felicioris consilio à PP. Religiosis Hibernis divini Numinis, ab hoste tam infamibus modis violati, inculcata eis est reverentia, & pijssimis adhortationibus ea in animis omnium infudit opinio, ut, cum divinissimum illud E V C H A R I S T I Æ Sacramentum, tam indignè atque abominandè ab exercitu hostili tractatum, protritum ac sædatum esset, ipsi è contrario omnem, quam bello impenderent, operam, conflictus omnes, vulnera omnia, vitamque adeò ipsam, in illatæ eidem sanctissimo Sacramento injuriæ vindictam ac

sinceram animi reverentiam referrent: ita fore, ut ipsis quoque martyribus adnumerari & comparari queant. Hæc Hiberno militi impressa cogitatio tantum in odium adversi hostis, tantum in mortis, pro sanctissimi Sacramenti gloria suscipiendæ, contemptum excitavit, ut, licet imberbes plurimi & ætate juvenes essent, reperire tamen neminem, cum promptissimo milite non conferendum. Dei scilicet optimi maximi providentiæ ac directioni hoc totum adscribendum, qui præter omnem omnium expectationem imbellibus robur bellicum, atque inexpertibus velut priscam experientiam instituendarum defensionum suggerit, nimirum ijs, qui ipsius Dei ac diviniissimi Sacramenti sibi defendendam ac vindicandam causam, uti præliorum scopum, proponunt.

Civitati atque Vniversitati non minor cura ac sollicitudo fuit propugnandæ & defendendæ urbis. Vniversitas quidem, ingruente hoc bello pluribus dilapsis, bonam partem minuta erat, non tamen armis defuit aut propugnationi. Princeps Academiæ Rectorque Magnus tempore obsidionis hujus fuit *Antonius d' Ave*, S. Theol. Licent. & publicus Ethices Professor, ex Facultate Artium adsumptus. Illi aderant plerumque, præsentibus tunc in urbe, è superioribus Facultatibus, quoties in rem præsentem pariter deliberandum esset, S. Theologiæ, Iuris utriusque ac Medicinæ Doctores & Licentiati, præter alia Supposita, ut vocant, familiam alentia; quos omnes hîc recensere fortè tædiosum esset. Electi ductores tres: qui Theologos reliquos, V. Cl. *Carolus Vignacurtius*; qui cetera Supposita, *Hermannus Hiddinga*: iste bellis nuper Germanicis, hîc annis retrò triginta in Belgio, miles. Vniversis supremâ auctoritate præfectus est *Ampliss. Dom. Franciscus Ioannes de Robles*, ex Comitibus d' Anappes, ad D. Petrum Præpositus, Vniversitatis Cancellarius, & Privilegiarum Conservator. In armis & sub vexilla mille & ultra convenere. Horum in Monasterio Dominarum infra Castrum, ut appellant, Cæsarianum, aut in ipso plerumque Castro statio erat: necessaria ceræque in omnem partem suppetiæ, si quid statio aut Vilvordiana aut Machliniana pugnando periclitaretur. Fuit cum binâ nocte in Halis, id est ædibus ad studium publicum deputatis, Studiosi locarentur. Primâ nocte utcumque æquo animo id passi, secundâ omninò protestati sunt, se bello omni abstenturos, nisi ad mœnia iterum collocarentur: modò in tanto impugnationum negotio locum otio non esse, nec Musas iam pati Martem, certè tam vicinum; unde deinceps ad Cæsarianum perpetuò Castrum, ipsaque mœnia processum est.

Magistra

L O V A N I E N S I S.

35

Magistratus quoque Civem omnem, in quinque cohortes distributum, ad arma vocat: quibus arma deessent, ijs distribui ea curat: pulveri tamen aliter prospectum fuit, qui non nisi tum, cum ad valium Civis esset, distribui permixtus est, ne inutilibus dispendiis id, quod necessitati dandum erat, dilaberetur.

Qui quidem Magistratus laudem ac commendationem vel quoque nomine meretur, quod obsidione durante nullus fuerit repertus ab urbe absens aut profugus; quamquam & civium paucos desiderares. Prætoris sive Majoris officio fungebatur *Ioannes Vander Vorst*, Toparcha de Winge, Nil, Pireux &c. Consules verò sive Burgi-Magistri hoc anno erant, è patricijs *Franciscus de Saint Victor*, Eques, Dominus de Bommalette &c. è plebe *Petrus vanden Broeck*. Longum esset omnium, qui reliquum Magistratum constituebant, nomina recitare. Præfectus Vigilum *Ioannes Iacobus Fusco Mateloni*, Fabij, Gubernatoris non ita pridem urbis hujus Fil. Toparcha Sarti S. Guilielmi, toto hoc tempore similiter perditus atque pernox fuit. Civicarum ductores cohortium erant, idem Wingij Dominus, urbis Prætor, *Ioannes Borchgravius*, *Alphonsus Fusco Mateloni*, Ioannis Iacobi frater, *Dominicus Daniels*, Vir Consularis, cuius, morbo tunc detenti, alius ex eadem cohorte locum vicisque supplebat, & *Arnoldus Vuyter-Hellicht*, ex patricijs omnes familijs. Suas hi per ordinem stationes, mœnibus vicinas, varijs in locis atque in Curia habebant, & easdem diu noctuque obibant, ut in omnem occasionem, prout ea sese offerret, continuò mœnibus propugnandis, ac succurrendis militibus præfidiarijs adesse possent.

Planè laudata quoque Civium per totam obsidionem virtus fuit, quam tum exercitissimi in hujusmodi expeditionibus Gubernatoris celebratum nomen, tum militum præfidiariorum, ac delectòrum ad hoc, fama & robur acrius excitarunt. Nam licet plerique obvallatæ atque obsessæ ab hoste urbi numquam interfuisent, nemo tamen fuit, qui à primo accessu, assultuque hostili bellum pugnamve ulla tenus detrectarit: parati etiam, eodem suo cum Duce, salvis aris, thalamisque, cum gloria mori potius, quam, ijs aut disiectis aut foedatis, violenti, probrosique dominatus jugum pati. Obsessis ergò (præter hostilium scelerum odium) prima servandæ urbis causa Gubernatoris fuit prudentia, vigilantiaque. Sed non minor in eo gloria, quòd, cum obsessi in terna, nimirum Vniversitatis, Civium, militumque membra seu corpora dividerentur, tanta inter hos omnes obsidione durante concordia esse potuerit. Nam cum distincta omninò sint corpora, Vniversitas & Civitas, & sua cuilibet regimini

-ca iij

E ij

ratio,

ratio, videri poterat obsidionis functiones ac primas curas Martis, non Palladis, competere administris. Ipsi ergo utriusque corporis delegati inter se rationem summæ pacis inierunt. In onerum, expensarumq; ad obsidionem necessariarum partem, placuit venire Vniuersitatem. Placuit & utriusque cum Grobendonckio Governatore de omnibus, quæ incidere possent, conferre consilia: uti & hic vicissim conferre cum illis solebat. Sæpè, si quid deliberandum occurreret, in Curiam ipse ibat, & adibat Magistratum. Mirum, quantum unio hæc sustinendæ obsidioni profuerit, & placuerit uniuersis. Nec interim militi deerat quidpiam: atque eo temperamento Grobendonckius, velut alter Solon, inter militem, plebem, Senatum & Vniuersitatem egit, ut à singulis parem referret gratiam.

Hic illud quoque memorabile accidit, quod litteræ quæ Cardinalis Austriaci nomine ad obsessos deferebantur, trinæ ipsius Cardinalis manu ex integro exaratæ, unæ alterius quidem manu scriptæ, sed à Cardinale subscriptæ essent. Has statim cum Senatu atque Vniuersitate communicari solemne erat, in argumentum non tam sumendorum animorum, quàm mutuæ inter se unionis firmandæ.

Ceterum, præter Civium armatorum copias, idem Magistratus ad centena aliquot pauperiorum incolarum, ac rusticorum, fugâ huc allapso, conscribit, qui accepto quotidiano stipendio per mœnia & valla laborarent ac foderent, terram eleuarent, aggeres educerent, loricas ad urbis muros adijcerent; quorum inter reliquos operâ non exigua propugnandæ urbis securitas data est.

Tormentorum æneorum modica in urbe copia. Cardinalis cum exercitu abscedens bina, quæ media vocant, alia in super maiora duo, & quatuor minora urbi reliquerat. Vrbs ipsa, præter nonnulla ferrea, ænea habebat sex: pulveris nitrati modicum, & duodecim dumtaxat vasa reperta; quæ urbis, bello inassuetæ, provisio erat. His Cardinalis nonaginta vasa addidit, quorum singula centum viginti libras continebant. Equites, qui durante obsidione auxilio, ut mox videbimus, venerant, octo millia librarum, cum insigni funium tormentariorum copia, advexerant. Cùm illi urbem intrarent, triginta dumtaxat vasa pulveris supererant, præterquam quod duplici molendino pulvis efformaretur, quorum minimum quadraginta libras pulveris rudioris, viginti defæcatoris conficiebat.

Porrò inter hæc tempora, vi. Kalen. Iulij, ut & reliquo obsidionis decursu, i. v. Kalen. & v. Non. Iulij, ab hoste Tubicines ad Grobendonckium ablegabantur, qui milite & cive fisis liberum plerumque per urbem aspectum, imò & obambulationem, eis concedebat. Fuit, qui no-

L O V A N I E N S I S.

37

qui nomine Principis Orangij pluribus verbis urbis deditio-
 pſceret. Reſpondit Grobendonckius, Mirari ſeſe, quòd Orangius
 omnem hætenus à ſe partam bello exiſtimationem ac famam ante
 imbelle & infirmum Lovanium velit perditum ire; eoque cum reſ-
 poſſo excedere Fecialem, & referre Magiſtro ſuo jubet. Et certè
 Orangius ſibi hætenus perſuaſerat, certo certius fore, ut ad tanto-
 rum exercituum ſolam præſentiam Lovanium pacem depoſceret, &
 victas ſupplicesque daret manus. Scio, cui ad Herenteum pagum
 primo acceſſus ſui die dixerit, Debere ſe eo ipſo veſpere eſſe Lova-
 nij. Vrbe ſe iſtâ indigere: Grobendonckium quidem obſtinati ani-
 mi eſſe, nec id ſe ignorare, ſuis tamen imparem viribus cedere, ut
 aliàs Silva-ducis, ita & Lovanio neceſſum eſſe. Opinioni & inani
 huic ſpei Orangianæ Grobendonckius nil, niſi quod militem decet,
 conceſſit.

Non-nemo è Fecialibus cùm primùm ingreſſus urbem in eos in-
 cideret milites, quos aliàs & Silvæ-ducis & Trajecti ad Moſam, pu-
 blicarum admiſſionum occasione, cognoviſſet, non minùs deſpera-
 tione aliquâ, quàm admiratione motus, inſclamabat, Quis tandem
 malus iterum genius vos in hæc urbem propugnandam invexit?
 Alij, quibus obambulatione aliqua per urbem concedebatur, arrepto
 conſilio, auſi civium animos pertentare. At hi Thenenſes illas libi-
 dines, prædationes, incendia, inſatiam triduo crudelitatem imma-
 nitatemque obijcere, mille ſe neceſ potiùs perpeſſuros, quàm ut ur-
 be Orangius Galluſque potiuntur. Ita, cùm undique & verba ani-
 mis, & animi factis reſponderent, non exiguam cunctationem ho-
 ſtium deliberationibus & confuſis divinâ providentiâ conſilijs
 injeccere.

Porro dum Regij ad urbis Lovaniensis moenia ripamque Dilie
 fluminis caſtra ſua haberent, ſemi-lunari aliquo opere & vallis non-
 nullis eum fluminis pontem, quem vulgò *Cambrugge* vocant, præ-
 munierant, quo ab Heverleano agro in caſtra aditus erat. Franci, ut
 aquationi exercitus ſui conſultum irent, ipſique ab omni præſidia-
 riorum eruptione tuti, eundem pontem majoribus adhuc ſeptis &
 vallis obtundunt. Totis ſiquidem caſtris, quæ ab Heverleæ ad He-
 renteum pagum itur, nulla penitùs, vel per exigua ad aquando com-
 moditas. E Dilie ergo deſumi atque hauriri neceſſum erat, quidquid
 in potum utriusque exercitui eſſet inſumendum. Cereviſiarum enim
 & cocti potus magna ubique penuria, ac Dilianæ aquæ poculum
 unum binis quaterniſve aſſibus paſſim veniſſe relatum eſt. Vnde id
 effectum, ut pane aut nullo, aut farinis malè fractis potiùs cocto, potu

etiam ad naturæ vires refocillandas profus inepto, morbi insolentes atque imbecillitas militem passim inuaderent, & increbrescerent.

Omnis interim undequaque in festinas ad urbem accessiones hostium fervebat labor, nec minor obsessis vel cura vel animus sese defendendi atque arcendi hostem. Ad Ceraserum quidem pertinaci studio Galli fossiones suas obfirmant, suggestum tormentarium in sublimi montis, paulò extra Ceraserum, componunt, indeque binò tramite in prædictam cerasorum silvam ita perrectum est, ut, efformato circa meditullium ejusdem ampliore receptaculo, unico hinc exitu in plures dein sese venas sive aditus dividerent, & silvam agrumque proximum multis accessorijs fossis interfecarent. Obsessi verò, ut hujusmodi conatibus occurrerent, profundius solidiusque sese fodiendo, obijciendoque adversus hostiles accessiones aggere, obmuniunt, & hostem hinc egregie lacesunt.

Quemadmodum autem ad plantarium seu silvam cerasorum, ita altius eodem in monte ad Calvariæ Sacellum, ab aggesto istic ad lævam ante ædiculam Sepulcri Dominici suggestu, rectà oblongaque fossâ ductili ad portæ Vilyordianæ proximum latus contendunt. Ab hac fossa varijs hinc atque illinc brachijs in agrum altiore ac depressum viæ publicæ procedebant. Obsessi & hinc contrà extra eandem portam ad fossæ labra viam communem occupant, & loricis sive prætenturis obfirmant. Hibernorum hinc perpetua statio fuit, & perpetuæ in hostem & cum hoste excursiones ac velitationes. Ita hæctenus utrimque solis ferè fossionibus decertatum, nec major aliqua vis in urbem exercita fuit. Litteræ interim à Cardinalis manu, ad Grobendonckium scriptæ, adferuntur, quibus obsessos hortatur ad tolerandam fortiter oblidionem, & copiarum auxiliarium è Germania spem certam facit.

Ad v. Kalen. Iulij, qui obsidionis dies quintus fuit, circa horam quartam matutinam, tormentis majoribus primùm salutata urbs fuit, & in ipsam urbem agi maiori vi cœptum, totoque eo die in seram usque noctem porta Vilyordiana, turresque hinc inde in mœnibus binæ quassatæ, perforatæ ac deformatæ fuere. Facta tunc ibidem, Prestono Tribuno procurante, eruptio ab Hiberno milite, qui alacriter pugnando virtutem hic suam omnibus probavit. Inter pugnandum audita identidem Hibernorum vox *Marf, Marf*, quod apud illos *Occide, occide*, significat.

Eodem die sub Solis occubitum densior Gallorum congressus & conglobatio ad aggeres tormentarios dicti montis & declivæ vallis animadvertitur. Prestonus Tribunus opinatus id, quod res erat,

L O V A N I E N S I S.

39

duos ex suis tum ad Gubernatorem, tum ad Senatam ablegat, re-
laturos grauibus copijs hostem ex aduerso aduenisse: desiderare se, ut
suis, qui quadringenti extra portam in septis essent; Civium quædam
turmæ & Studiosorum in omne discrimen sufficerentur. Groben-
donckius itaque Scholares & Cives, in armis esse iussos, varias in
stationes disponit: ipse verò circa stationem & portam Vilvordia-
nam totâ nocte hæret, ad omne momentum præsto singulis adfutu-
rus. Ribaucourtius quoque, unâ cum *Ioanne Baptista vander Vorst*, *Egi-
gij Toparchæ Loombecani* Fil. nuper cohortis unius ductore (quem
Grobendonckius in hac obsidione sibi adiutorem, sive *Ajudant*, ut
vulgò vocant, adsumperat) totâ statione suâ ad bellum conflictum-
que universa præparat atque disponit.

Sub noctem intempestam tribus Legionibus hostis proruit, inque
munitiones ferè omnes, quæ à porta Machliniensi ad Bruxellensem
usque à Ribaucourtianis, Wesemalijs, Hibernis, tenebantur, trino
agmine assultuque impetuoso irruit, & quidem eâ celeritate, ut ijs,
quas Wesemalijs adversus cerasetum in *Bollenflach* excitant, semel
iterumque pænè potiretur. Miles autem noster magnis admodum
animis ac pari alacritate se propugnat & tuetur, hostemque cædit &
pellit. Interim in ipsis mœnibus Cives quidem ita dispositi erant, ut
cohors ea, quæ sub urbis Prætoze, Wingij Dominò, vexilla tenebat,
stationem Ribaucourtianam, à porta Bruxellana ad aggerem usque
tormentarium in *Bollenflach*, indeque altera sub Borchgravio, ad por-
tam usque Vilvordianam, Vniversitas verò Turrin, quam perditam
Impensam; vulgò *Verloren-cost*, vocant, tuerentur. Vbi in planum
apertumque prodijt hostis, mirum quantum è mœnibus Scholaris &
Civis, è munitionibus miles, damni cladisque illi intulerint; nec errare
ferè vel ictus bombardæ poterat, eò quòd, Francis multo numero è
sublimi ad depressum montis proruentibus, posteriores æquè ac pri-
mi ictibus omnes paterent.

Vehemens hîc per totam noctem conflictus fuit, Francis continuo
ingeminantibus *A moy, A moy*, nostris verò reponentibus *A toy, A toy*,
A Paris, A Paris; & similibus dictionibus hostem laceffentibus: totamque
per urbem eâ nocte *Al-arm* conclamatum fuit. Tormentorum quo-
que hostilium audita subinde tonitruatio. Et iam devorasse pænè se
credebant Franci, quæ cogitatione antè præceperant, cum ecce,
clade suorum mille, & ultrà, uti ab ipsismet relatum est, acceptâ, ce-
dere retrorsum sunt compulsi. Cecidit eâ pugnâ, præter complures
Gallos nobiles, eosque Barones aliquot, etiam Marchio de la Vares-
nes, apud Cælestinos Heverleæ post tumulatus. Tantum porrò ab-
fuit,

fuit, ut hostes munitionibus suis obsessos dejicerent, ut è diverso hi ubi victoriâ illâ eadem suas munitiones in hostem ulterius promoverint. E nostris divinâ protectione desiderati dumtaxat duo, totidem vulnerati, duo etiam cives læsi.

Vniversitas & Magistratus virtuti militari præmium aliquod, aut novum potius à victoria fomitem, subdidit, ac liberaliter refici militem mandavit. Privatorum quoque propensio submissis poculationibus militem festum excitavit atque exhilaravit.

Dies subsequens **xxviii.** præterquam quòd is mutuis velitationibus, ac reboantibus è novo tormentario aggere ad *Bollenslach* globis in portam Bruxellanam & turrin vicinam directis, duceretur, eam opinionem ex recentis pugnae successu attulit, quòd existimaretur hostis, expeditione tanto apparatu susceptâ, tantoque cum dedecore ac detrimento delusa & disiecta, instauratis viribus novam irruptionem facturum. Itaque Grobendonckius, præter auxilia incolarum, Legionem Wesemaliam facillè dimidiam Vilvordianæ portæ & stationi tutandæ deputat, omnesque, qui arma ferre possent, stare in armis eâ nocte iussi: & noctibus aliquot sequentibus idem penè fuit apparatus, Grobendonckio semper ipsis sub mœnibus aut valle, non sine maxima cum civium tum militum excitatione, totas noctes vigiles atque insomnes ducente. Franco ac Batavo ita, ut dixi, pulso, illiusque nimia elatione nimium depressâ, superbum illud, **A M O Y**, à **M. O Y**, audiri ultra datum non est; tormentis tamen injuriam in turres mœnium, civiumque ædes nullo ferè cum effectu aut damno vindicavere.

Orangius cladis hujus impatiens, majus aliquod opus machinari videbatur ad portam Machliniensem. Patres Societatis **I E S V** ibidem viam publicam insigni Semi-lunâ ad dextrum portæ latus clauserant: Hiberni atque Germani ad lævam & frontem, præter varias agri interfectiones, semi-lunarem quoque munitionem accessioni hostili obiecerant, cui, vice fossæ ductilis & loricae, præjacebat angustior quæpiam ac profundior via, in defensionem sic satis comparata. Inter hanc & fossam urbis paulò ultra plantariû sive nemusculum aliquod novellarum arborum interjacebat. Orangius verò aduersus hæc munitiones, è vicino montis Roessellani fossas similiter ductiles, septa, & loricas varijs brachijs promouerat, maioraque receptacula figendis stationibus effoderat, atque aggere tormentario operas omnes firmarat. Suis ergò in expeditionem præmonitis, sub noctis conticinium in semilunare opus nostrum impetum iciet & irruit. Pugnatum hîc ab Hibernis ad obstinationem, Lunaque semel
in hostium

L O V A N I E N S I S.

41.

in hostium venit potestatem; verum, resumptis mox animis, ac Germanis in auxilium venientibus, Batavus omnis protinus exactus est, milites gregarij & primipili insigni clade obruti. Ductorum quispiam aureis armillis, annulisque rutilus, & ducatis Francicis locuples, ferro ac glande transfactus, in semi-lunam protractus fuit, spoliatusque: cujus cadaver dein multo ære, nimirum mille & ducentis floribus Renensibus, redemptum ferunt.

Ribaucurtius interea Bruxellanæ suæ stationi adversus Chastillonium omnibus modis intendit: atque in primis ad Cerasetum, quâ fodiendo quâ pugnando hostium undequaque occurrit conatibus: Semi-lunam, portæ objectam, sudibus munit, brachia varia & propugnacula producit. Ad latus portæ dexterum fossæ ripam novâ loricâ munit, atque ad agrum proximum defensionem ab aggerè mutuat, viamque istic regiam firmius infidet. Wesemaliorum hîc quoque militum studia enituere, atque ipsemet ubique frequens & vigilans in labores & decertationes Baro fuit Wesemalius.

Alibi *Eynthoutius*, Germanorum militum ductor, & Legionis Embdanæ Pro-tribunus, extra portam Arschotanam necessarium omninô opus adgreditur. Imminet urbi ab ea regione, quæ à porta Machliniensi in Arschotanam procurrit, mons, quem vulgò *Syaenenborch* vocant, Latine Olorinam dixeris, qui mœnibus, quæ ea versus Diliam fluvium sese dimittunt, altior, totam istic urbem & ultra prospicit, planumque intuitum, & liberam iaculationem in mœnia & portas Diestliensem, Thenensem, Arschotanam præbet. Plurimum dubio procul periculi Orangius obsessis intulisset, si montis huius sinum munitione aliquâ & milite insedisset. *Eynthoutius*, cui statio ea propugnanda obtigerat, locum illum montisque discrimina speculatus, celerrimo conatu semi-lunare robustioris artis opus, etiam adversus tormenti majoris impetum struit, trinaque alia receptacula, *Esperons* vocant, à fronte hostibus obijcit, & à militibus perpetuò ducentis custodiri jubet. Huic è mœnibus agger respondens tormentarius nocte unâ Germanorum operâ educitur, ac bino tormento adarmatur. Eâ ratione, *Eynthoutij* studio & curâ, difficili planè obsessis loco ita prospectum est, ut & in obsessorum potestatem redigeretur mons, priusquam penè ibi militem Orangius adverteret, & ita communitus, ut citius alicubi mœnia, quàm hîc operæ superari posse viderentur. Nescio quid prælagire hîc rerum fortium eventus cogat. Etenim existimo divinâ directione factum, ut *Eynthoutius*, pluribus obsidionibus exercitatus, eum tandem animum fiduciamque sumeret, ut famosissimam illam munitionem, quam à primo conditore

F

Martino

Martino Schenckio, nobili Geldro, *Schenckianam* nominant, sitam ad angulum insulæ, vulgò *s' Graven-veeri* dictæ, ex hostium faucibus ereptam, primus Regi Catholico & Cardinali Austriaco vindicaret, traderetque. Certè in Silvæ-ducentis urbis obsidione, ob virtutem bellicam, sæpius sibi probatam, eo loco apud Grobendonckium fuit, ut propugnaculo Antoniano, quod aggeri Vuchtano ex adverso stationis Orangianæ pridem impositum fuerat, magna cum fiducia & imperij prærogativa præficeretur. Qua in provincia ita se, talemque gessit, ut verè id agere cerneretur, quod præ se ferebat passim, scilicet sperare se vel eo in loco paternum ab hoste effusum sanguinem vindicaturum. Vnum hîc referre lubet, quod ea in obsidione, eodem penè & velut anniversario die ab *Eynthoutio* depugnatum est, quo Lovanium, occupato monte Swanenbergio, ab eodem defensum. Mensis Iunius in extrema vergebat, cum Orangius semilunare aliquod opus ante munitionem Antonianam, multis septis à se circumductum, pluresque per dies propius impetitur, tandem densæ noctis beneficio invadit, occupatque. Plurimum hinc momenti erat, periculi que plurimum tum accessioni ad prædictam munitionem, tum majoris propugnaculi Rutani ab urbe abscissioni ac seclusioni, imminebat. *Eynthoutius* cum dimidia sua cohorte quinquaginta militum à Grobendonckio ad Rutanum Fortalitium missus erat, quòd gravior aliqua impressio in opus istic conrotum metueretur; cum è diverso in priorem Semi-lunam vis hostilis rueret. Egressus igitur ille cum suis, dum in hostem pergit, ciecitis ac dissipatis ibidem præfidiarijs, rerum iam potentem, resumptis animis suos proximo in Semi-lunari opere congregat, ac Germanico sermone ita animat, ut acclamarent singuli; se à Præfecti voluntate ac jussu ne vel latum quidem pedem recessuros: assumptaque galeâ leviore deauratâ ac parmâ suos ipse antecedit ac ducit, primusque transenso unius asseris ponticulo, per quem à Semi-luna, quam tenebat, ad eam, quam occupauerat hostis, transitus & aditus erat, constitutis ordinibus, à ponte se promovet, donec, transmissis omnibus, præclarissimo facinore ita in hostem involaret, ut & Semi-lunam ei eriperet, & in viciniora septa fugientem turbatumque insequeretur, atque (ut hostium utar testimonio) ultra centum Orangianorum militum profligaret, trucidaretque.

Vt eò redeam, dum miles tantâ curâ defensionem parat & sustinet, Universitas & Magistratus nec suis defuit partibus, de que refo-cillando alendoque milite consilia & rationes capit. Erant ex parte Universitatis ac Magistratus selecti aliquot, qui collatis animis ac
consilijs

consilij prouiderent ijs omnibus, quæ vel in conflanda re pecunia-
ria, vel militum sublevandis necessitatibus, alijsque rerum momentis
essent decernenda. Deputaverat ad hoc Vniuersitas è singulis Facul-
tatis aliquos; è Theologica Eximium D. *Cornelium Ianssenium*, S.
Theol. Doctorem & sacrarum litterarum Professore Regium, qui
multis laboribus, assiduis etiam in Domo Senatoria vigilijs, & pru-
dentia, quâ valet, acrimoniâ, unâ cum Exim. D. *Henrico Paridano*
(nuper ante diem, magno Vniuersitati ac Civitati relicto sui deside-
rio, è vivis raptò) plurimum enituit; è Iuridica Clariss. VV. *Michae-
lem vanden Perre & Valerium Andream*, I. V. Doctores & Professores, ac
D. *Fredericum Havens*, I. V. Licent. è Medica Expertiss. D. *Michaelem
Ophemium*, Medicinæ Doct. & Professore; è Facultate Artium DD.
Laurentium Zoënum, S. Theol. Licent. & *Laurentium Giffene*, Philoso-
phiæ in Liliensi Pædagogio Professore primarium. Ex Magistra-
tu, præter urbis Prætorem ac Consules, multam hinc laudem pro-
meriti sunt Viri Nobb. *Martinus Lievens*, *Egidius vander Vorst*, Toparcha
Loombecius, *Raso van Grave*, *Ioannes & Carolus Pullij*, *Ioannes & Ludo-
vicus Borchgraviij*, ex Patriciorum omnes ordine, alijque. Hi ergò mili-
ti de caseo, cerevisia, stipendio, prospiciunt, & dietim distribuunt.
Multum hinc animi miles hausit, & volupe erat eius spectare alacri-
tatem & in quolibet adversa promptitudinem.

Nec intra verba dumtaxat res sterit. Rem Mavors, non verba aut
sonum amat. Invadendo ergò hosti exercenda virtus. Orangius, præ-
ter eas munitiones, quæ à vicino montis Roefellani ad portam præ-
ferebat Machliniensè, novo hinc brachio, binis ternisve loricatis
fossis, præformato ad caput castello, versus Turrim perditam ferio
agros proscindit. Multoque impetu in turrim hanc, urbemque è tri-
nis aggeribus tormentarijs die xxix. qui D. Petro, urbis Tutelari, sa-
cer, detonatum est. Est verò ea turris præalta, in ipsis urbis moenibus
ad speculationum ac prisicarum defensionum usum exædificata; nec
inutilis in hæc bella. Etenim ex ea in subiectas hostium latebras atq;
accessiones facilis erat prospectus: nec latere hîc illi, etiam inter pro-
pria septa, poterant. Grobendonckius proinde eorum conatibus hac
è turri distinctius consideratis; Prestono suggerente atque instante,
decrevit, maiori aliquâ excursionè in hostem eo loci impressionem
esse faciendam.

Itaque sub horam à meridie quartam ducentos quinquaginta toto
è præsidio selectos milites portâ partim Vilvordianâ partim Machli-
nianâ per urbis fossas secretò emittit. Machlinianâ Germani, ducto-
re Locum-tenente, viro strenuo, egrediuntur: alterâ Wesemalij,
F ij quos,

quos, priusquam excedere urbe datum esset, Baro Wesemalius Martiâ oratione ita alloquitur, & mactos animo esse jubet: Offerri iam tempus, quo probatam hactenus famâ virtutem omnium conspectui testatam faciant. Non in obscuro aut tenebrarum sub tegmine, sed plenâ ac planâ luce decertandum esse. Latere hîc neminem, qui segnior sit, posse. Sux ergo & famæ & virtutis memores singuli fortiter dimicarent. De victoriâ satis securos fore. Respondent, Eos se se præstituros, ut, si victoriâ desit quippiam, manifestum tamen evadat, suâ à virtute nihil desideratum iri. Porro Wesemalios ducebat Signifer Berthinius, qui, suis ad seminarium novellarum istic arborum latenter deductis, præstitutum expeditioni signum præstolabatur. Eadem denique portâ exit suis cum Hibernis ac præit nudato brachio, strictoque gladio ipse Tribunus Prestonus. Salire in pugnam militum animi videbantur. Fossæ altitudine reptando superatâ, ac retro segetes paululum progressis, Grobendonckius insultus faciendi signum dat, folio chartæ albæ è Turri dimisso. Eo viso miles certatim omnis, fulminis instar, in hostium septa inuolat, eosque, priusquam arripere ad defensionem arma possent, hastis dimidiatis, gladijs, sclopetis, & simili leviori armaturâ obruit, transfigit, trucidat. Wesemalij vigiliam stationem, quàm *Corporis guardiam* vocant, impetunt; ac Berthinius primipilo cuiusdam Gelum sive Pertesanam, ut vulgus nuncupat, in frontem impingit. Ductoris sui vestigia propius premit miles. Propositum singulis, vitam dare nulli, nulli parcere. Volupe erat videre hîc ejusdem Berthinij cum quodam Capitaneo congregientis certamen, dum pro vita iste & gloria, hic pro vita saltem velut in arena publica depugnarent. Quid de Hiberno milite dicam? Lepidum erat illum, dimidiatis hastis armatum, intueri ita in adversos insipientem hostes, ut transvolare ipsorum receptacula videretur. Istic inclamare, occlamare, fodere, transfodere. Omnium demum militum, ut verbo dicam, ad stuporem (leporè melius dixerim) animositas fuit. Donec tandem, complanatis hostium operibus, hostili madens sanguine, spolijsque auctus, in urbem victor revertitur. Deletos eâ pugnam hostium sedecim supra quadringentos ipsimet hostes sunt confessi. Inter ductores & Capitaneos aliquot tribunitiæ auctoritatis fuit quispiam, uti ex baculo tribunutio, prædæ loco adducto, patere potuit. Anglicæ Legionis Tribunus Morgan miro casu vitam asseravit. Inter cadavera se proijciens mortuum simulat, fidemque eius rei facit, quod famulus super ipsum procumbentis heri corpus trucidatus, sanguine Morganium fecdarit. Vnde proprio innatare cruori creditus, vestibus, gladio, armis, baculo tribunutio
exutus

exutus ac spoliatus, inter cadavera relictus à nostris fuit.

Ad hunc tumultum conflictumque excitus equitatus hostilis, qui ad pedem montis Roefellani excubias agebat, dum præcipiti cursu in nostros, mœnibus iam viciniores, provoluitur, ita Civium ac Studioforum confertis è muro displosionibus exceptus fuit, ut timore panico percussus celerrimè tergum vertere, multaque confusione profugere sit coactus. Miles interim noster in urbem adventabundus spolia & prædas, hastas & gladios, chlamidesque sive capotas usitato hodie vocabulo, cruore hostili madidas ostentat. Multa undique adgratulatione, ac poculationibus per plateas passim, & per ædes, victor salutatur recreaturque. Desiderati tunc è nostris fuere tres aut quatuor dumtaxat, interque eos Legionis Embdanæ Locum-tenens, quem vulgò Sergeantum majorem vocant, *Molster* cognomento.

Circa hæc tempora litteræ, tum à Principe Cardinale, tum à Namurcensium quodam Consiliario, adferuntur. Iste liberationem imminere: hic subsidia Germanica prope Namurcum esse nuntiat. Non parum hinc erecti ac confirmati nostrorum omnium animi.

Ne tamen defensionì quidquam deesset, Gubernatoris judicio placuit equites aliquot, qui in urbe à Regij exercitus discessu, absque equis remanserant, in pedestrem adscribi militiam; rusticos etiam, qui in urbe asyllum fugâ quæsierant, in cohortes conscribi, dato à Magistratu atque Vniversitate stipendio. Ita in armis itur numerosius.

Cæterùm visum fuerat iam antea è Turri perdita hostem tormentis minoribus, quæ Serpentina vocant, laceffere. Eius igitur generis bina in turrim attrahuntur, atque in ea Francorum castra diriguntur, quæ retrò montem Calvarix stativa habebant ac latitabant. Primis mox ictibus ita tentoria & casæ eorum salutantur, ut Franci saltabundi ex ædiculis procurrerent atque obsessis insigniter risum moverent. Multo damno stetit hæc turris hosti. Cùm enim præalta sit, facilis inde in vicinas hostis munitiones erat dijaculatio, ita ut in receptaculis, urbi vicinioribus, tutò latitare vix possent. In Turrim ergò perditam, composito ad hoc suggestu tormentario, perditè infanire incipiunt, & tormentis quatere. Superiori regioni, ubi exterior murus erat tenuior, & præ vetustate distractior, deformata nonnihil facies, sed quæ inanes hostilium conatum motus non perditè æternumque sit risura.

Pridie Kal. Iulij, continuis displosionibus porta primùm Machliniensis, atque ubi incassum ac vano labore id agi conspicitur, proxima portæ mœnia, concutiuntur, lacerantur. Germanus, Hibernusve

præfidiarius cespitem suppositum obijcere, densare, vallum terreum, quod muro interiùs adjacebat, eâ secùm formâ divellere, ut, si impressionem hîc facere hostem contingeret, ad hastæ vnus alteriùsve altitudinem à ruptorum mœnium ingressu in plateam publicam præseps ruere necessariò cogeretur. Rumpi eâ ratione invasorem necesse erat, priusquàm pugnandi ullam repturus esset occasionem. Platea porrò publica è vicino prædensis cespitum congestionibus obstructa erat; ita ut omnis ea, quæ in Machlinianam stationem fiebat accessio, ipsi hosti inutilissima & periculosa redderetur.

In seram noctem dies abierat, cum longioribus itineribus quadringenti circiter Equites, pulvere nitrato, funibusq; bombardarijs, benè onusti, ad portam adsunt Theneensem, in urbis subsidium ac præsidium Bruxellâ à Principe Cardinale ablegati. Grobendonckius eius rei antè per litteras ejusdem Cardinalis certior factus, omnibus benè perspectis, atque excitatis uno alteròve loco per mœnia ignibus, ne quid ab hoste machinationis latere posset, sic eos in urbem intromittit, atque è sublimi specula boni successus ignes ostentat. Vigiliarum civicarum Præfectus *Ioannes Iacobus Fusco Mahteloni*, dum fortè ad portam Vilvordianam adesse subsidia liberandæ urbi nuntiat, inclamare illicò ad hoc nuncium, qui istic stationem habebant, idioma suo Hiberni, concordibusq; armis, velut pro victoria, bombardas displodere: fugam Parisiensem, & leviculum illud à moy, per opprobrium identidem ingeminare. Qui ibidem in mœnibus excubabant Studiosi & Cives, ad hanc lætitiâ demirabundi, ut causam resciscunt, unâ mox omnes & illi contentione explodere, Franciscus insultare; *Parisios, Parisios* ingeminare. Iratior hinc hostis tormentorum aliquot ictibus vicem reddit, ignarus, quid tandem commovere obsessos ad hæc posset.

Postero die nuntiatur Orangio & Chastillonio, nitratum magnæ copię pulverem esse advectum. Ad hæc fremere Orangius: ac nocte proximâ equitum suorum turmas aliquot per silvas in insidijs collocare; ita futurum sperans, uti equitatus, qui obsessis de necessarijs ad tolerandam ultra obsidionem providerat, redux eo itinere in suorum veniret potestatem. Opinione frustratus, varias mox ab eodem milite velitationes sustinere est coactus: adeò ut vi. Nonas Iulij Gallorum complures apud Parcensis Abbatix Monasterium fuerint profligati, & captivi in urbem quinquaginta adducti.

Superiori à nocte subsequens felicitatis aliquid videri potest mutata. Nam Batavi ex adverfo Turris perditæ operas ad duplicis circiter hastæ longioris intervallum ad urbis fossam provexerant, Obsessi

L O V A N I E N S I S.

47

fessi excursionem factâ suis omnes receptaculis exigunt, & propellunt. Sanguine Batavo inassueta bellis tellus rubuit. Alibi Gallus munitiones obfessorum ad *Bollenlach* impetit. Conatu similiter irritò; nam clade non exiguâ retunditur ac dissipatur.

Contigit quoque per hosce dies aliquid non illepidum. Hostis in eas munitiones, quæ portæ objacebant Machliniensi, serio accessiones suas promovebat. Accidit, ut è propinquo, quâ facilis in hostium operas esset prospectus, miles Germanus quispiam retro sepi aut arbuscularum enatarum aliquam congeriem sese occultaret, ita ut videre inde posset, quâdo arma hostis poneret, quâdo ligonem producendo operi in manus sumeret. In hunc igitur militem continuus sociorum oculus. Explorator, cùm iam ligonibus impeditos omnes adverteret, suis signum dabat. Mox ij modestè accedere, in operas displodere, & priusquam hostis arma arriperet, retroire. Cùm paululum quies data esset, resumptis ab hoste laboribus, explorator rursus signum dare: socij, ut antè, latenter allabi, & displodere, mox retrocedere. Duravit aliquantisper hæc tragœdia, donec is, qui hostibus imperabat, pluribus suorum vulneratis, nonnullis trucidatis ab inchoata in vicinum se receptaculi brachium, omissis ligonibus, recipere cogetur.

Dum hoc modo miles noster undequaque strenuè rem gerit, varijs subinde à Principe Cardinale missis, & hostium interceptis, litteris animatur, quamvis interim pergerent ac ferrent tormentorum hostilium debacchationes, & munitiones. Illa exploratori suo, ut verisimile erat, ad vallum Machlinianum caput & humeros tollunt; repertæ enim apud eum salviconductus Orangiani litteræ. Alibi ita fervent operæ, ut ad Cerasetum, portamque Vilvordianam vix hastæ unius spatium munitiones munitionibus hinc inde abessent. Westfalij ergò urbis fossam novâ loricâ adamant, & viam fossæ conterminam ampliùs firmant. Vetus etiã receptaculum, in urbis vallo, quâ foras prospicit, ad portam Bruxellensem Ribaucurtius, ad alias alij de novo apparari, & sclopetarijs disponendis aptari curant. Ut tamen fossæ in omnem casum magis prospectum esset, idem Ribaucurtius inventum quodpiam, quod Cameras vocant (ædiculæ complanato tecto ex asseribus simile est) binis locis in ipso fundo fossæ adversus accessiones è Ceraseto, & ad Turrim perditam componi suadet, & procurat. Ad dijaculationes aptum genus, & adversus bombardarum ictus impervium.

Nec minùs in rem suam intentus erat hostis, qui quàm serio studio hanc in obsidionem incubuerit, propugnacula omnia & munitiones

tiones accessionesque satis superque docent. Sed & animadversum fuit, duobus eum locis cuniculos agere. Vno loco, quod lapidosus esset fundus, à conatu discessum est. Itaque ad fines Cerafeti, quâ obsessi excitatâ semi-lunâ montis ascensum occupabât, deijcere hinc eisdem suffossione subterraneâ hosti erat animus. Ex adverso Grobendonckius istinc in ipsum hostem agi cuniculos mandat: atque in tantum iam obsessi promoverant, ut sperarent primas hostium operas in auras mox dispellendas, nî demùm hostis fugâ sibi consuluisset. Eam in rem ad v. Nonas Iulij sub vesperam ingens fascium copia ad Cerafetum à Wesemalijs, excubias ibidem habituris, comportata fuit, ut si Semi-Junam istinc nostram dissilire contingeret, mox ea fascibus illis iniectis restitui posset: sin verò hostium operas cuniculo disturbare Grobendonckius ipse statueret, collatis istuc fascibus, ipsas hostium munitiones occupari curaret & insideri.

Hæc dum ita fiunt, novaque in hostem consilia Grobendonckius agit, Orangius, præter denunciata per Fecialem terculamenta, duplex in munitionibus suis vexillum, rubeum sanguineumque, in mortis, omnisque internecionis inferendæ obstationem, constitui jubet. Cumque nullo profectu conatus hætenus omnes deluderentur, accidit, ut iv. Nonas Iulias sub noctem Hiberni eruptionem in Gallos molirentur: quorum in septa dum incurrunt, mortalium vident neminem, nec audiunt è propinquo. Proximæ ab his munitiones etiam vacuæ. Ad suggestum ergo tormentarium procurrunt: & inde quoque tormenta avectâ vident; reducesque ad suos fugere Francum Parisios occlamant. Dies paulisper oborta è vallo & Turri perditâ recessum hostium confirmat.

Quæ nõ hîc à Milite, à Studiofo, à Cive insultationes, occlamatïones, exprobrationes? E mœnibus, tormentis interdum in terga adactis, valedictionis loco insultatum est. A pedite, ab equite velitationes variæ in extrema agmina susceptæ. Suis mox oculis ipsi hostes pueros puellasque suorum munitiones ingredi, & victorioso plausu adire atque obire etiam inviti vident. Fuga hæc ac recessus magnam confusionem habuit. Armorum omnis generis, rerumque plurimarum supellex multa, à cive ex hostium stationibus prædæ loco sublata: nec fuit ferè aliquis, quin similis memoriæ Gallici Batavicique dedecoris aliquid sibi statueret adservandum.

Sub meridiem quadringenti equites Croatæ Lovanium adveniunt. Dum propiùs ad nostros accessissent, eorum octodecim interrogant, Vbinam hostis esset. Agminis Gallicani postremi equitatu eis demonstrato, concitato subito impetu in hostile agmen incurrunt, ac medium

L O V A N I E N S I S .

49

dium dividunt, transcuntque uno dumtaxat ad faciem vulneratos.
 Altero deinde die graviora iisdem hostilibus agminibus, damna
 à dictis Croatis illata intelleximus.

Ita Deo Opt. Max. Deiparaque obsessæ urbis securitatem propi-
 tijs favoribus administrante, post res strenuè summaque curâ & vigi-
 lantiâ à Gubernatore Grobendonckio tractatas; à Tribunis & mili-
 te depugnatas; ab Univerſitate & Cive gestas; post adactas mille
 trecentorum, & vltra, tormentorum muralium in urbem ferratas
 sphæras; post duos potentissimos Gallorum ac Batavorum fractos
 pulfosque exercitus; delusas hostium, mira jactantium, præsumptuo-
 sas elationes; deleta, trucidataque plura eorum millia, nullo pænè
 vel in milite vel in cive accepto damno: tandem victorioso servatæ
 urbis, imò & Patriæ, triumpho uti frui datum est.

B V S T V M T H E N E N S E ,

S. I. G. V. E. N. I. S.

E X P O S T V L A T I O O P I D I L O V A N I E N S I S .

compatientis Sorori suæ Thenensæ afflictissimæ.

L u ſ i t L . V . I . C .

I Te aliò infames Galli, Bataviq̄ue latrones,
 Mars mea cum docta Palladè castra regit.
 Ite aliò fures Galli, furesq̄ue Batavi,
 Nil hîc, ô fures, quod rapiatis, erit.
 Vaccarum, ô fures Galli, furesq̄ue Batavi
 Vaccarum, procul hinc ite, redite domum.
 Ite capilligeri, muliebria corpora, Galli,
 Quò Venus ad sordes, ad sua furta vocat.
 Vos quoque, Belgarum purgamina, abite Batavi,
 Ite citi, quò vos furta, crucesq̄ue vocant.
 Non hîc Thenarum sunt parva mæpalia, sunt hîc
 Fossæ, & munitis mœnia structa jugis.
 Non hîc imbelles pueri, imbellesq̄ue puellæ,
 Fortia sed sunt hîc corpora multa virum.
 Solâ potest Impensa repellere perditâ Gallos,
 Solâ potest Batavos mergere Fura truces.

G

Non

Non hic imbelles Thebæ, sed habetis Athenas,
 Mars ubi cum sæva Gorgone sceptrâ gerit.
 Qui vos exfectis globulis ad vestra remittet,
 Ut capo jam fiat, qui modò Gallus erat.
 Heu mihi, quot luctus surgent, quot ubique querelæ;
 Ibit ad uxorem cum sine glande capus.
 Ecquid summorum prodest spoliâsse Deorum
 Tempia, & Vestales prostituisse sacras?
 Impia quid profunt iactata incendia? & urbem
 Hanc tot funereis excruciasse rogis?
 Urbem humilem, vacuam, nudatam moenibus urbem?
 Gallorum hîc rabies prodigiosa fuit.
 Sed maior feritas horum, Friderice, secuti
 Qui tua, Nassovj, castra fuere, fuit.
 Nil immane satis fuit his, crudele satisve,
 Nemo expers totâ funeris urbe fuit.
 Nam velut ardentès Furie, ut Plutonides atræ,
 Fertur & attonitas ut lupo inter oves:
 Utque animos Stygij rapiunt, subiguntque dracones,
 Et rabidi miserâ in sua claustra trahunt:
 Sic Galli, sic vos Batavi, Frisijque gigantes,
 Cædibus implestis sacra, profana, vagis.
 Tempia cadaveribus foedata fuere cruentis,
 Et tua, Christe, domus ceu laniena fuit.
 Non sic Argolicis arserunt Pergamâ flammis,
 Heu nulli optatam templa tulistis opem!
 Exusti in domibus multi dicuntur egeni,
 O mors, quàm miseris hæc truculenta fuit!
 Effigies rigidâ pendentis in arbore Christi,
 (O scelus! ô feritas!) igne perusta fuit.
 Christe fuge ad Nilum, sævit crudelior hostis
 Herode, ut matrem, teque, patremque necet.
 Sævij is tantum in bimos, bimijve minores,
 - Eneat hic matres, cum puerisque patres.
 O crudele nefas, ô non debibile crimen!
 Quod non totius abluat unda maris.
 Multa Sacerdotes passi tormenta fuerunt,
 Furibus ut sacra detegerentur opes.
 Nec tormenta satis passos fuit, impius hostis
 Iussit captivos igne vel ense mori.

Prætereo

Prætereo castis tot stupra illata puellis ;
 Debit una decem sustinuisse viros.
Triginta & sædos perpeffa iuvenca bubulcos.
 Dicitur. ô miseris fœmina pressa modis !
Quam te mox natam præstasset amata sepulcro
 Condiar , infando sic nec amore trahi !
Quattuor ad vexilla citi exonerate saburram,
 Hic vos expectant sus , canis , ursa , lea.
Militis hæc Galli pietas , pietasque Batavi,
 Militis hæc constans est utriusque fides.
Stupra latrocinij miscent , incendia stupris,
 Et sunt supra illis sanguinolenta nimis.
Vnde tibi hæc feritas tam perniciofa ? Batavos,
 Gallia , te dices hanc docuisse feros.
Scilicet hoc credat , gentem qui norit utramque,
 Vtraque gens Fidei fertur habere nihil.
Hostia sacra tuis pedibus calcata , iocisque
 (O immane nefas !) ludificata tuis :
Digna brevi tanto scelere sua præmia reddet,
 Digna feres tantis præmia , Galle , malis.
Horrendum ! Batavus fertur stabulantibus illam
 Projecisse suis , mens quod abhorret , equis.
Sacro oleo ungendis Batavi hinc peronibus usi,
 Chrisma sacrum Gallo fecit id officij.
Et Deus ista vides , nec fulmine mittis ad Orcum
 Has pestes , Furias , Eumenidasque truces ?
Scilicet hæc ingens Gallorum gloria , & ingens
 Gloria magnanimi Principis Auriaci.
Vnde tibi hæc feritas , truculentia tanta , Batave ?
 Me mater dices hanc docuitque pater.
Ite aliò Caci , Princeps venit Hercule major,
 Qui vaccas repetet ense vel arte suas.
Credite , nec falsò Batavi , Galli que propheta,
 Esse Deos , & qui hæc inferiora vident.
Esse Deos , quibus est exosa superbia , quâ vos
 Imperio dignos dicitis esse soli.
Esse Deos , quibus est odiosa potentia , quâ vos
 Imperio dignos dicitis esse maris.
Esse Deos , quibus est exosa protervia , quâ vos
Creditis in cælis non habitare Deos.

52

Tartareum credo miseri neque creditis Orcum,

Non infernales creditis esse focos.

Nec purgari animas, manes neque posse piari

Morte obita; hæc nugas dicitis esse meras.

Somnia sed tantum & deliria creditis isthæc,

O scelus, ô rabies, mortiferumque nefas!

Tempus erit, quamvis sint tarda, videbitis olim

Numina, cum vestro numina magna malo.

Magna solent feras infligere numina pœnas,

Sed major tantò pœna ferenda venit.

Thenarum ô tandem Superi miserefcite sortis,

Sacrilegos dirâ clade piate citi.

Hos pestis, lepra hos feriat malesana, levamen

Sit nullum, fluxus ventris agatque viros.

Dira fames, & anhela fitis, te vindice Christo,

Opprimat hos, diro fulmine frange reos.

Nec patriam videant, nec Gallica regna latrones,

Christe, sed in nostris emoriantur agris.

Horum ut pinguescant macræ, Deus alme, miricæ

Corporibus, nec sint Gallica busta domi.

A P P R O B A T I O.

Obsidionis Lovaniensis compendiosa hæc Narratio, nec non liberationis eiusdem, Dei Opt. Max. Desparaq; Virginis favore, triumphus, ad æternam servata urbis memoriam, typis evulgari poterit. Actum Antverpia hæc xxix. Julij, cio. 19c. xxxv.

ZEGERVUS VAN HONTSVM, Can. & Pœnit. Antv. Lib. Censor.

Hæc historia continens excidium urbis Thenensis, & obsidionem Lovaniensem Anni 1635. prælum ac lucem publicam meretur. Datum Lovanij 12. Decemb. 1635.

A. LOVERIVS S. T. L. P. & R. Lib. Censor.